PRAECIPUARUM INTELLECTIUAE VIRTUTIS FACULTATUM ENCYCLOPAEDIA...

Accademia degli Ierofilomati,
Carlo Conti, ...


ENCYCLOPÆDIA
THEOTOCO S.ma
VIR.i
SACRA.
AD AMPLIORA SEMPER.
HIEROPHILOMA THES.

PRÆCIPVARVM INTELLECTIVÆ VIRTVTIS FACVLTATVM ENCYCLOPÆDIA

Quam orationis, tum ſolutæ, tum vinctæ numeris, obſequio expreſſam,

Stellato Deiparæ Virginis in Cælum aſſumptæ ſerto,

FLORENTINÆ VRBIS HIEROPHILOMATHVM ACADEMIA,

In Sacris Congregationis

IESV SALVATORIS ÆDIBVS,

Chariſsimę Patronæ, quo potuit, officio morem gerens, attexuit.



F L O R E N T I Æ,

Ex Typographia Petri Matini, ſub ſigno Leonis aurei. MDCLXXXIV.

Superiorum permiſſu.

COSMO TERTIO
MAGNO ETRVRIÆ DVCI

IOANNES IACOBVS MESCOLI,

CAROLVS CONTI,

Cæterique Hierophilomathes felicitatem.

CVm ad locum, unde exeunt, flumina revertantur, ut iterum fluant, ne mireris Sereniſs. PRINCEPS, quod tibi hęc mentis noſtræ munuſcula inſcribantur, Mediceǫſque Orbes veluti Cynoſuram agnoſcant ſuam: Siquidenim fluentum noſtrum aquarum quandoque coegit, a munificentiæ tuæ Pelago ſemper nobis placido dimanavit. Ad Solis inſtar ergo, qui licet ſydera Cœlo adhærentia lumine afficiat, campi etiam floſculos fovere non refugit, ne, quod Tuum eſt, accipere dedigneris. Quod ſi exigua nimis appareant hæc obſervantiæ noſtræ monimenta, hic Traianum Imperatorem Te volumus, qui bonitatis laude pręſtans ab omnibus appellatus, cum a nobiliorum nonnullis incuſaretur, quod Imperatoriam nimis Maieſtatem abijceret, cunctis etiam plebeculis comem, benignumque ſe prębens, reſpondiſſe fertur; Talem ſe velle Privatis prębere, quales optaret Reges, Imperatoreſque

COSMO TERTIO
MAGNO ETRVRIÆ DVCI

IOANNES IACOBVS MESCOLI,

CAROLVS CONTI,

Cæterique Hierophilomathes felicitatem.

CVm ad locum, unde exeunt, flumina revertantur, ut iterum fluant, ne mireris Serenisſ. PRINCEPS, quod tibi hęc mentis noſtræ munuſcula inſcribantur, Mediceęoſque Orbes veluti Cynoſuram agnoſcant ſuam: Siquidenim fluentum noſtrum aquarum quandoque coegit, a munificentiæ tuæ Pelago ſemper nobis placido dimanavit. Ad Solis inſtar ergo, qui licet ſydera Cœlo adhærentia lumine afficiat, campi etiam floſculos fovere non refugit, ne, quod Tuum eſt, accipere dedigneris. Quod ſi exigua nimis appareant hæc obſervantiæ noſtræ monimenta, hic Traianum Imperatorem Te volumus, qui bonitatis laude pręſtans ab omnibus appellatus, cum a nobiliorum nonnullis incuſaretur, quod Imperatoriam nimis Maieſtatem abijceret, cunctis etiam plebeculis comem, benignumque ſe prębens, reſpondiſſe fertur; Talem ſe velle Privatis prębere, quales optaret Reges, Imperatoreſque

toresque sibi privato. Percipiemus equidem cumulatissimum laborum nostrorum fructum, omniumque quam maximum, si Tibi Vni placere potuerimus: Modicæ quoque hæ nostræ, licet insuper fęculentæ, & nullibi illimes Aquæ Auspiciorum tuorum, die fortasse vertente, vi cathartica purabuntur, atque ad Ampliora, ut Animus nobis noster auguratur, semper procedentes, progressus faustos, fortunatosque sibi eventus pollicendo, Divino tandem afflante Numine, in liquidum, grandeque flumen concrescent. Vale.

ENCYCLOPÆDIÆ HIEROPHILOMATHVM

PRÆFATIO.

POstquam per proximè elapsos præteritorum temporum Annos ex Intellectiuæ Virtutis facultatibus singularis sæpius aliqua, nullo sibi Comitum addito pedamento, Patrona Academiæ nostræ Hierophilomathum Numina, eo quo studio licuit, & obseruantia, prosequi enixim contendit; quia sermo semper adædalus nimis, imò achrestus prorsus euasit; præcipuè verò, cum adiastata Deiparæ Virginis merita immodicè audax laudibus efferenda suscepit, eò quia nè quidem satis commoda sibi verborum licuit ambage; ne dum nobilioribus acathistis abundè illustrare, vnde eiusdem splendori potius tenebras obduxisse visa fuit; hinc factum est, quod præcipuarum tandem omnium simul eiusdem Intellectiuæ Virtutis coeunte facultatum Encyclopædia, cum vnaquæque quasi in vasto, ac bonorum omnium prædiuiti ærario, quæ sibi sunt propria, a Diuina fuisse Potentia in Virgine largè conclusa, pulchrè conijciat, eidem vniuersæ (vt ad ampliora semper Curotrophij huius Academia tendere pro Viribus non desistat) eidem inquam vniuersæ, vt communi omnium Parenti in præsentia obsequentes, diuina damomatis suis admodulantes, admirantur miracula.

Est ergo Encyclopædia Methodica rerum omnium in hac vita homini discendarum comprehensio: vel est omnium systematum, quibus res homine dignæ methodo certa explicantur, commune systema. Prima officium suum hac in Encyclopædia Virtus ipsa defert Intellectiua, quæ dispositio quædam est, intellectum ad veri cognitionem perficiens, infallibili siquidem modo facit verum cognosci. Hæc ad disciplinarum cognitionem per quatuor animi præparatiua deducit, quę Hexiologia sunt, Technologia, Archelogia, atque Didactica: Tria quorum priora de disciplinarum omnium natura disserunt, quartum de illarum studio multipliciter præcipit: Duo tamen nobis hic primò se offerentia prodesse magis videntur, nempè Hexiologia, atque Technologia. Hexiologiæ materia Intellectiui sunt habitus; Technologia est de Disciplinarum affectionibus, earumque ordine, ac diuisione: Archelogia disciplinarum omnium Principia perdocet tam essendi, quam cognoscendi: Didacticæ est in Disciplinarum studiositate versari: Hexiologia ergo omnium primò apponit habitus, qui ad disciplinas addiscendas mentis aciem disponant. Viginti in vniuersum in humano requiruntur habitus intellectu, nempè Intellectus, Intelligentia, Synteresis, Conscientia, Intelligentia poetica, Sapientia, Scientia, Prudentia, Ars, Eloquentia, Opinio, Fides humana, Dubitatio, Suspicio, Error, Fides Diuina, Lumen Propheticum, Donum Mira-

culorum

culorum, Donum linguarum, Lumen Gloriæ; horum quinque sunt nobis innati; nempè Intellectus, Intelligentia, Synteresis, Conscientia, Intelligentia Poetica. Decem sunt acquisiti, Sapientia, Scientia, Prudentia, Ars, Eloquentia, Opinio, Fides, Dubitatio, Suspicio, Error. Quinque tandem infusi, Fides supernaturalis, Lumen Propheticum, Donum miraculorum, Donum linguarum, Lumen Gloriæ. Quinque tamen vulgò certi tantum Intellectui nostro adscribuntur habitus; Intellectus, Sapientia, Scientia, Prudentia, Ars; Tres in theoreticis, vel vniuersalibus, duo in practicis, vel particularibus morantur. Intellectus est habitus naturaliter ducens ad firmiter, & euidenter primis principijs ex sola terminorum appræhensione per se notis assentiendum; Quale illud apparet; Totum est sua parte maius. Intellectus partim speculatiuus est, partim practicus: sub speculatiui ratione spectatus, Intelligentia dici solet; & est habitus contemplatiuus, quo hominis inclinatio firmitèr, & euidentèr principijs primis theoreticis, vel speculatiuis assentitur. Intellectus praticus Synteresis appellatur, vulgò Synderesis; & est habitus practicus, quo homo ad firmitèr, & euidentèr assentiendum inducitur principijs primis in thesi practicis; huic famulatur Conscientia, nempè habitus quidam practicus, quo homo redditur propensus ad firmitèr, & euidentèr assentiendum primis principijs practicis sibi applicatis; vndè ipsius synderesis actum designat. Addi potest Intelligentia factiua, vel vt ab alijs nominatur, organica, aut Poetica, & est habitus, quo quis inclinatur ad firmiter assentiendum principijs primis factiuis, vel artium. Accedit Sapientia, nempè habitus quidam contemplatiuus, quo quis inclinatur ad assentiendum conclusionibus necessarijs per supremas, primasque causas; & circa prima, idest generalissima rerum principia versatur, eorumque Conclusiones, resque præstantissimas: eidem congruit post Intellectum, primum inter mentis habitus locum tenere. Scientia est habitus contemplatiuus, quo quis inclinatur ad assentiendum conclusionibus necessarijs per proprias, siuè proximas causas, non verò per primas. Prudentia est habitus practicus, quo quis inclinatur ad assentiendum conclusionibus practicis, vndè obiectum eius est omne agibile, seu quicquid liberi hominum arbitrij electioni subesse solet. Prudentia quandoque ad Intellectum, aliàs verò ad Voluntatem pertinet; hinc fit, quod in Ethicis est habitus Moralis, hic verò intellectiuus. Ars est habitus practicus factiuus, vel, vt placet alijs, poeticus, quo inclinamur ad assentiendum conclusionibus factiuis: vel est habitus Intellectum disponens ad externa operata perficienda, quæ sunt Artis materia, secundum formam excogitatam, & inuentam ab Artifice. Duo adduntur habitus incerti, nempè Opinio, & Fides humana. Opinio est habitus, quo quis ad alicuius non necessariæ propositionis assensum inclinatur per medium probabile, aut sine illo. Fides humana est, qua quis inclinatur ad humano testimonio, vel authoritati assentiendum: Dicitur autem humana ad Diuinæ differentiam, qua inclinamur ad firmitèr assentiendum testimonio Diuino. Ita se habet Hexiologia pars prima Alphabeti Cyclopædeutici, ex qua vera petenda sunt habitualium disciplinarum genera, puta Sapientia, Scientia, Prudentia, Ars; tum fontes cognitionis veri, & actionis boni, puta Intellectus, Intelligentia, Synderesis, Conscientia. Post Hexiologiam, quæ omnium primò apponit habitus, qui dispositiones sunt ad disciplinas addiscendas, sequitur Technologia, hæc est Doctrina de affectionibus, & ordine disciplinarum, earumque diuisione. Disciplinæ à discendo dicuntur: Vndè earum diuersitas ex rerum discendarum varietate desumitur: Vbi notandum, quod disciplinæ, habitus, & actus iuxta naturalem diuisionem planè sunt innumerabiles, ac non pauciores quam Obiecta, quæ in Mundo datur inuenire: Vnumquodque enim obiectum specie differens, actum specificat specie diuersum. Immò plures etiam dari possunt in intellectu actus, & habitus, qui specie differant, quam in Mundo rerum sint species: Primò quia idem Obiectum pluribus cognitionibus inadæquatis specie diuersis cognosci potest; Secundò quia sicut per plurium seminum insertorum commixtionem, in qua virtutes plures seminales copulentur,

pulentur, solent specie diuersi flores; fructusque, arbores, & Animalia plura produci; sic imaginatio, atque intellectus noster plures species vniendo, ac veluti rerum semina, & quodammodo rem vnam alteri inserendo, nouorum, vel merè possibilium, vel etiam impossibilium obiectorum cognitionem producunt. Verum ex hoc ipso, quod iuxta naturalem diuisionem habitus, ac scientiæ penè sint innumerabiles, ac sine vllo ordine producantur, prò vt obiecta Intellectui casualiter occurrunt, necessariam sequitur esse diuisionem aliquam artificialem, quâ redigantur in ordinem; Multitudo enim inordinata confusionem parere solet. Vt autem in quædam summa capita disciplinas omnes diuidamus, dicendum videtur, quod disciplinæ omnes vel sunt Sapientiæ, vel Scientiæ, vel Prudentiæ, vel Artes. Hic verò notandum, quod vocabula hæc aliter in præsentia, quam in Hexiologia accipiuntur; ibi enim nomina sunt habituum, hic systematum: Vndè hoc est inter habitus, disciplinasque discrimen, quod habitus virtus est interna, & intellectualis, hominem perficiens, aptumque reddens ad artificiosè vel agendum, vel contemplandum, Disciplina est systema Methodicum de re aliqua scibili, vtilique ad hominem erudiendum, atque perficiendum: vel vt ad liquidum magis loquamur, habitus sunt qualitates, quæ intellectum determinant ad faciliùs sua Obiecta percipienda, idest ea omnia intelligibilia, quæ proponuntur cognitionis, vel actionis gratia: vel sunt qualitates ad firmiter, & euidenter disciplinarum Principijs, & Conclusionibus assentiendum, & dicuntur intellectiuæ Virtutes: Disciplinæ sunt Systemata ipsa, principia, & conclusiones comprehendentia, quæ cognitionis, vel actionis gratia proponuntur. Quatuor, quas proposuimus Disciplinæ, in plures vnaquæque diuiduntur partes, quæ triplicis sunt generis, nempè Integrales, Subiectiuæ, atque potentiales: Integrales dicuntur non habitus aliqui, aut actus partiales, ex quibus ipsa virtutis essentia coalescat, sed quædam conditiones, dispositiones, functiones, vel actus, quos adesse oportet, vt Virtutis opus perfectum euadat: Partes subiectiuæ sunt species Disciplinæ, de quibus illa essentialiter prædicatur; sicut Animal de Homine: Partes Potentiales vocantur quædam minus principales virtutes, quæ alteri principaliori adiunguntur, cuius rationes non perfectè, vt subiectiuæ contingunt.

His breuiter suppositis, quæ ad Hexiologiæ, atque Technologiæ vniuersalia pertinere videntur, vt ad specialia descensum faciamus, occurrit primo Sapientia, sub qua est Metaphysica, & sacra Doctrina: at ei tantum in præsentia subijcietur ipsamet sacra Doctrina, Metaphysica siquidem aliam sibi sedem quæsiuit. Sacra ergo Doctrina vulgo Theologia, vel Theosophia, est Disciplina Theoretica, quæ per lumen supernaturale, & Diuinum Deum, & alia ad Deum spectantia contemplatur: Quando autem suam habet ex veteri Testamento notionem, tunc propriæ dicitur Theologia; quando autem ex nouo, Theurgia: Hæc iterum in plures solet diuidi partes, quarum aliquas attingemus. Vel est ergo Creata, vel Increata; Increata est, quâ Deus se Ipsum compræhendit; Creata, quâ homines, & Angeli Deum cognoscunt. Rursus Creata vel est naturalis, eaque de Deo vt Naturæ Auctore, eiusque proprietatibus disserit ex principijs, quæ naturali lumine cognoscuntur: Hanc Gentilium plerique Philosophorum sibi vindicarunt, verum erroribus ijsq; crassissimis refertam; Cum Deum docent Corporeum, Mundum Æternum, &c. Altera est Theologia Supernaturalis, quæ ceterarum nobilissima, huius sibi nominis iure vindicat dignitatem, eaque ex principijs procedit diuinitùs reuelatis. Quò ad procedendi modum eiusque methodum, quia non semper eundem hunc esse comperimus, hinc est, quod supernaturalem Theologiam aliam dixere Positiuam, Scholasticam aliam. Positiuam vocamus, qua sic ea, quæ ad Sacram Doctrinam pertinent, traduntur, vt demonstretur, vbi nam in sacris literis, Ecclesiasticis traditionibus, Conciliorum Decretis, Patrum Definitionibus contineantur, priusquam rationum argumentis firmentur: Scholastica est, quæ methodo vtitur Scholis accomodata, vniuersim scilicet de Deo Scientiam in ordinem redigens, & rationibus, ar-

 gumentisque

gumentisque confirmans; quæ tamen non est alia à priore, sed ratione dumtaxat diuersa, methodoque tractandi. Rursus alia est Symbolica, alia Mystica; Symbolica multa de symbolis, idest de similitudinibus in Deum traslatis attingit: vel est quæ Deo in Scriptura aduerba nostra descendente, sensibiles nobis illius obijcit figuras: Mystica est modus Deum inueniendi per abnegationem, excessusque mentales, tanquam in Diuina caligine, hoc est in occulto, & abscondito videatur Diuina Maiestas: Hæc iterum subdiuiditur; est enim Purgatiua, Illuminatiua, Vnitiua; Purgatiua à peccatis nos liberat, Illuminatiua morales Virtutes introducit. Vnitiua per caritatem nos Deo coniungit. Iterum alia est Theoretica, alia Practica, seu Moralis; Theoretica ea tradit, quæ à nobis fieri nequeunt, sed tantum agnosci; vt est Doctrina de Deo, de Angelis, Anima immortali, &c. Practica, seu Moralis eorum est, quæ à nobis fiunt, nempè Christianæ Iustitiæ, & Decalogi officia, omnesque casus ad Conscientiam spectantes. Est quoque Infusa, vel Acquisita: Infusam in nobis efficit Deus; Acquisitam nostro studio, vel actibus procreamus; alia insuper est Viæ, alia Patriæ; Viæ est Theologia præsentis Vitæ; Patriæ est Vitæ futuræ. Est tandem Catechetica, Polemica, Analytica, seu Interpretatiua, vel Expositiua. Catechetica summatim Catholicæ tradit Fidei rudimenta; Polemica est Doctrina Religionis controuersias enarrans, & decidens, vndè & Theologia Controuersiarum, vulgò quoque Dogmatica dicitur: Analytica est Theologia Sacrarum Scripturarum expositiua. Sapientiæ succedit Scientia, cui subijcitur Philosophia. Philosophia est Diuinarum, Humanarumque rerum scientia, earumque Causarum, quibus hæ res continentur; Estque Theoretica, vel Practica; Disciplina philosophica Theoretica Naturalem veri cognitionem demonstrat; Estque Generalis, vel Specialis; Illa est Metaphysica, & Logica, hæc est vel substantiæ, vt Pneumatica, & Physica; vel Accidentis vt Mathematica, quæ vel est Pura, vel Media, illa tantum est Mathematica, vt Arithmetica, & Geometria, hæc partim est Mathematica, partim Physica; Estque alia quantitatis, & Corporis, vt Cosmographia, Vranometria, & Geographia; Alia Qualitatis, & Corporis, vt Optica, & Musica. Disciplina philophica practica est, quæ moralis boni actionem demonstrat; estque generalis, vt Ethica, vel specialis, vt Oeconomica, Politica, Scholastica. Prima ergo Philosophiæ Pars est Generalis Philosophia Theoretica, quæ in Metaphysicam, Logicamque diuiditur. Metaphysica ens quatenus Ens est vniuersalissimè sumptum considerat; hæc prima dicitur Philosophia, est enim potissima Philosophiæ pars; vocatur quoque Theologia Naturalis, quia de Deo differit non ex principijs diuinitùs reuelatis, sed ex his, quæ naturali lumine sciuntur; dicitur quoque Sapientia, quia rerum causas tractat Altissimarum. Diuiditur autem Metaphysica in realem, substantialem, & accidentalem, cui addunt alij quoque Intentionalem. Realis agit de Ente reali, Substantialis de Substaniali, Accidentalis de Accidentali, intentionalis de Ente rationis Metaphysico, idest quod habet esse tantum obiectiuè in Intellectu. Logica est Ars bene disserendi; Diuiditur autem primò in Naturalem, & Artificialem; Naturalis est aptitudo ad disserendum, quæ nobis est naturaliter insita eo ipso, quo Anima rationali præditi sumus: Artificialis est facultas naturali illi aptitudini super addita, studio, & exercitatione comparata, qua ad expeditè disserendum prompti reddimur. Diuiditur iterum in Docentem, & Vtentem; primam vocant eam, quæ tradit præcepta disserendi, alteram, quæ eadem applicat ad vsum, vndè & scientijs Practicis annumeratur. Rursus diuiditur in tres quasi partes subiectiuas, nempè Horisticam, Meristicam, Syllogisticam, iuxta tres Intellectus nostri operationes, quæ diriguntur à Logica, quæ sunt simplex Apprehensio, Iudicium, Discursus; Simplicem autem Apprehensionem docet Logica docens modum, quamque rem per se intelligendi, ad quam reducitur Horistica, quæ docet definire: Secundam operationem dirigit Logica, quæ tractat de propositione, sub qua aliquo modo continetur Meristica, quæ docet diuidere: Tertiam dirigit Logica tractans

ctans de modo argumentandi, & hæc eſt Syllogiſtica. Si autem argumentatio procedat ex propoſitionibus neceſſarijs, dicitur Apodictica, ideſt Demonſtratiua: Si autem ex apparentibus, Sophiſtica: Si verò ex probabilibus, dicitur Topica, vel Dialectica. Topicæ additur Analytica, quæ modum docet iudicandi argumentationes, eaſque reſoluendi. Apodicticam argumentandi formam docet Ariſtoteles libris priorum, & poſteriorum; Dialecticam libris Topicorum, atque Elenchorum; libros verò Prædicamentorum, & de Interpretatione præparatoria videtur ad vtramque ſpeciem tradidiſſe, eoque etiam Iſagoge Porphyriana inſeruit de prædicabilibus, ſiue vniuerſalibus. Accedit Pneumatica de natura Spiritus agens. Hæc diuiditur in Angelographiam, Dæmonologiam, Pſycologiam, & Diuinam: Angelographia agit de Angelis; Dæmonologia de Dæmone, Pſycologia de Anima ſeparata, vel in ſe ſpectata; Diuina tandem de Deo.

Phyſica eſt Scientia Corporis naturalis, vel Entis mobilis; eſtque Phyſiologia, vel Coſmologia; Phyſiologia corpus naturale conſiderat, quatenus pars eſt Mundi. Phyſiologia eſt vel Simplex, vel Collatiua; illa Diachritica, hæc Synchritica dici poteſt. Phyſiologia Simplex, vel Diachritica res naturales abſque collatione explicat; eſtque Generalis, vel Specialis; Generalis corpus naturale conſiderat in Genere, atque adeo explicat ſubiectum Phyſicæ, & ſubiecti conſtitutionem, atque affectiones: inter affectiones formales datur præcipuè qualitas Phyſica; cuius Doctrina dicitur Pœologia; Phyſica ſpecialis explicat naturam in ſpecie corporis ipſius naturalis. Corpus Naturale eſt ſimplex, vel mixtum; Simplex eſt, quod eſt liberum à mixtione, eſtque Cœlum, vel Elementum; Cœlum eſt Corpus primum nullo modo ad mixtionem ordinatum, eius Doctrina dicitur Vranologia, quæ loquitur de Orbe Cœli, atque de Stellis. Elementum eſt corpus ſimplex ſubcœleſte ad mixtionem ordinatum, eius Doctrina dicitur Stœcheologia. Sequitur Mixtum, quod ex elementorum choalitu componitur, huius generalis conſideratio dicitur Mictologia, quæ expendit cauſas, & effecta mixtionis. Corpus mixtum in ſpecie, vel eſt perfectè, vel imperfectè tale; Corpus imperfectè, vel inchoatè mixtum eſt, in quo elementa non ſunt ad medium redacta, ideſt ad iuſtam, & exactam proportionem, atque temperiem; dicitur autem Impreſſio aerea, & vſitatè Meteòrum, illiuſque Doctrina Meteòrologia: Ideo autem dicitur Impreſſio aerea, eo quia Meteòra vt plurimum contingant in aere, eique veluti impreſſa videantur; nihilominus alia fiunt in aere, alia in aqua, alia tandem intra Terram. Meteòrorum omnium materia proxima eſt Vapor, & Exhalatio. Cauſa Efficiens eſt virtus Solis, & Syderum, quæ primo Materiam, Vaporem, atque Exhalationem eleuat, atque diſponit; quibuſdam deinde Impreſſionibus, & alterationibus in Mixta imperfecta transformat; Concurrunt nihilominus qualitates actiuæ Elementorum. Meteòra ſunt vel vera, & realia, vel apparentia; Vera ſunt quæ id ſunt, quod videntur eſſe; ſuntque Leuia, vel Grauia; Meteòra leuia ſunt vel ignea, vel aerea; Meteòra ignea, vel ignita ea ſunt, quæ generantur ex fumo ſulphureo, vel pingui, ex quibus quatuordecim numerantur, ſcilicet Cometæ, Stellæ diſcurrentes, Capræ ſaltantes, Dracones volantes, Lanceæ, Faces accenſæ, Ignis perpendicularis, Ignis fatuus, Ignis lambens, Caſtor, Pollux, Helena, Fulgura, & Fulmina: Principalia ſunt Fulmen, & Cometa, quorum Phyſica eſt Ceraunologia, & Cometographia. Meteòra aerea duo ſunt Ventus, & Terremotus; Ventus Meteòrum eſt flatuoſum aerem agitans, eius Doctrina dicitur Anemographia, & Anemologia. Terremotus eſt Meteòrum è flatu generatum inter cauernas terræ coarctato, qui dum ſibi Viam parat, neceſſariò Terram concutit; eius doctrina dicitur Siſinographia. Meteòra grauia ſunt Nubes, Pluuiæ, Nebulæ, Nix, Grando, Glacies, Ros, Pruina, Mel, & Manna. Meteòra apparentia ſunt Iris, Parhelij, Virgæ, Corona, Vorago, Hiatus: Sed hæc videantur apud Philoſophos. Corpus perfectè mixtum eſt, in quo cuncta elementa conuenienter ad diuturniorem temperiem alterantur; eſtque inanimatum, vel animatum;

Corpus

Corpus inanimatum est, cuius Anima non ita est euidens, ac dicitur Minerale, & Subterraneum, eius Doctrina Nerterologia. Mineralia fossilia sunt, quæ ex Terra effodiuntur; Ipsorum Physiologia dicitur Oryctologia. Oryctologia est prima, vel orta; prima est Lithologia, Metallographia, & Mesologia; quia fossile est lapis, Metallum, vel mediæ Naturæ. Lithologia explicat naturam lapidis; Lapis est Minerale ex terrestri glutinosa materia, & leui humido generatum. Metallographia explicat de Metallo: Metallum est minerale fusile, ductile ex principijs ortum magis aqueis, quàm Terreis. Mesologia explicat Minerale mediæ naturæ, quod inter lapidem, & Metallum intermediam habet temperiem; dicitur etiam fossile, & Minerale medium, estque terra, aut succus mineralis, vel fossilis, vt Bitumen, Alumen, &c. Oryctologia orta explicat fossile mixtum, & compositum. Fossile mixtum est, in quo plura fossilia sunt iuncta, estque vel metallum mixtum, vel aliud præter metallum. Fossile compositum est gleba constans, vel ex pluribus simplicibus, vel ex pluribus mixtis, vel ex simplici, & mixto, vel ex pluribus simplicibus, & pluribus mixts.

Sequitur de Corpore Animato, cuius Doctrina dicitur Empsychologia, quæ explicat species corporis animati, quod est vegetabile, vel Animale; vegetabile est, quod Anima vegetante est præditum, aliàs dicitur Corpus germinans, itemque stirps, atque planta, eius doctrina dicitur Phytologia. Vegetabile est perfectum, vel imperfectum; Imperfectum est, quod radicem, vel caulem euidentem non habet, vt sunt Tubera, Fungi, &c. Vegetabile perfectum est, quod radicem, & caulem euidentem habet, estque minus, vel maius vegetabile; Minus est Herba, vel Suffrutex. Herba est planta humilis tenui caule, sed neque lignoso, neque per omnia perenni; eius doctrina dicitur Botanologia, siue Botanica. Suffrutex est stirps, minimæ inter lignosas altitudinis, atque crassitiei, caulice simplici perenni; eius Doctrina dicitur Phryganologia: eiusdem nobiliores species sunt Rosa, Rosmarinus, &c. Vegetabile maius est frutex, vel arbor; frutex est vegetabile multiplici caulice, & perenni; eius Doctrina dicitur Thamnologia; estque nobilior, vt Cinnamomum, ignobilior, vt Sambucus. Arbor est stirps lignea magis crassa, & procera cum trunco perenni, & simplici; eius Doctrina dicitur Dendrologia, vel Dendrographia. Corpus Animale est, quod Anima sensitiua est præditum, & vno nomine dicitur Animal; Animal consideratur, vel in genere, vel in specie: Animal in Genere consideratur quantum ad partes, & affectiones sibi proprias; & hæc doctrina appellatur Zoologia, vel Zoographia. De Natura corporis Animalis est Physica specialis, quæ dicitur Somatologia; Corpus Organicum Animalis est, quod pluribus instructum est partibus, quam corpus vegetabile; ipsius doctrina dicitur Anatomia, siue Anatomica. Anatomia est, Physiologia Corporis Animalis; hæc vel est Theoretica, vel Practica; Theoretica est Crealogia, siue Anatomia Carnis; Osteologia, siue anatomia ossium; Dermatologia, vel Anatomia tegumentorum exteriorum, & vniuersalium. Practica Anatomia est Stelopoetica, siue de humani corporis sectione, & humani sceleti compositione. Gonologia quoque, siue Anatomia fœtus humani.

Considerauimus Animal in genere, considerandum ergo modo restat in specie. Animal est Irrationale, vel Rationale: Irrationale est, quod forma est bruta præditum, & dicitur Bestia; eius Doctrina est Therologia. Therologia est principalis, vel minus principalis; Principalis est Ornithologia, Ichthyologia Tetrapodologia: Minus principalis est Ophiologia, Amphibiologia, Entomologia; Ornithologia est Physica Auium specialis, Ichthyologia est specialis Physica Aquatilium; Aquatilia sunt Animalia ex aquis sumpta, & in aquis degentia, natandi tantum perita, si excipias pisces volantes in Brasilia. Tetrapodologia est Physica specialis Quadrupedum. Ophiologia Serpentum; Amphibiologia Amphibiorum, idest Animalium in Terra, & aqua Viuentium. Entomologia est Physica specialis Insectorum.

rum. Animal rationale ſequitur, quod dicitur Homo, cuius contemplatio vocatur Anthropologia. Forma hominis eſt, vel Communis, vt Anima partim vegetans, partim ſentiens; vel propria, quæ dicitur Specifica, eſtque Anima Rationalis, quæ eſt actus primus hominis, quatenus eſt homo. Huius Doctrina dicitur Pſychologia.

Hùc vſque est expoſita Phyſica Simplex, nunc ſequitur Phyſica Collatiua, quæ dicitur Phyſiognomia. Phyſiognomia est, quæ Corporum Naturalium Naturam ex certis ſignis explicat, aliàs Phyſiognomonia. Phyſiognomia agit de ſignis, corporis naturalis naturam in ſpecie manifestantibus, & est Cœlestis, & Subcœlestis. Phyſiognomia Cœlestis proponit ſigna, quæ corporum Cœlestium naturam manifestant, & dici potest Cœlestis. Phyſiognomia Subcœlestis est, quæ modum ex certis ſignis proponit, Sublunarium corporum naturam cognoſcendi; estque, vel Elementorum, vel Elementatorum. Phyſiognomia Elementorum dici potest Elementaris, quæ quatuor Elementorum Naturam ex certis ſignis docet cognoſcere. Phyſiognomia Elementatorum est corporum, vel perfectè, vel imperfectè mixtorum. Phyſiognomia Corporum imperfectè mixtorum dici poteſt Meteòrologica, vtpote quæ tradit ſigna, ex quibus Meteòrorum Natura cognoſci poteſt. Phyſiognomia corporum perfectè mixtorum est, vel mineralium, vel Corporum Viuentium. Phyſiognomia Mineralium dici potest Mineralis, quia Mineralium naturam intrinſecam ex certis ſignis docet inuestigare. Phyſiognomia Botanica est plantarum, quarum naturam cognoſcit è ſignaturis. Theriologica est Phyſiognomia Beſtiarum, quarum hic natura per externa ſigna indicatur. Anthropologica eſt, qua hominis natura ex certis ſignis conijcitur, eſtque Prima, vel Orta; Prima eſt, quæ tractat de ſignis phyſiognomicis in humano Corpore occurrentibus. Signa a Manibus petita cognoſcuntur a Chiromantia, vel Chiroſcopia: Signa a Fronte petita a Metopoſcopia. Sic eſt Phyſiognomia Prima; Sequitur Orta, quæ docet modum rectè phyſiognomicis ſignis vtendi, eaque rectè applicandi.

Hùc vſque eſt Phyſiologia; reſtat nunc Coſmologia, quæ tractat de Mundo, & eſt pars vltima Phyſices. Mundus eſt Syſtema, ſiue Compages ex Cœlo, & Terra, & quæ his continentur, ordinatiſſimè concinnata: Hic addenda videtur Medicina. Vbi enim deſinit Philoſophus Naturalis ibi incipit elegans Medicus, inquit Ariſtoteles; vti enim plantæ radices ſuas in terra fixas habent, per quas alimentum ſuſcipiunt; conſeruantur tamen ambientis aeris temperie, & vitali ſyderum influxu vegetantur; ita quoque Ars homines curandi principia, & fontes ſuos ex media petit Philoſophia, qui deindè particularibus Medicinæ præceptis illuſtrantur, & confirmantur. Quare Medicina nihil aliud eſt, quam particularis quædam & ſenſibus obiecta naturalis Philoſophia: Phyſicus enim in Vniuerſum omnia naturalia corpora, atque etiam humana ſcientiæ cauſa conſiderat; At Medicus circa ſolum humanum Corpus verſatur, non tantum vt illius Naturam addiſcat, ſed vt ex hac Scientia potius operationis, & actionis modum deducat. Medicina eſt Ars ad humani Corporis ſanitatem tuendam, profligandoſque morbos comparata. Hæc partim eſt ſpeculatiua, partim practica; ſpeculatiua, ſeu Theoretica eſt, quatenus ex certis, firmis, & indubitatis principijs docetur, ſuique eſt cognitione contenta. Practica, quatenus ad Hominum vſum reuocatur. Quinque Medicinæ ſunt partes, Phyſiologia, Pathologia, Semeiotices; Hygieina, Therapeutices. Phyſiologia vniuerſam hominis naturam, & conſtitutionem indagat, atque perquirit, nempè elementa, temperamenta, humores, ſpiritus, humani corporis partes, facultates, & actiones, quæ à facultatibus proficiſcuntur. Pathologia, ſiue Noſologia ea conſiderat, quæ ſunt præter naturam, vel cauſas morbificas inquirit, morbos, & ſymtomata. Semeiotices tradit indicia, quæ & integram, & aduerſam valetudinem luculentèr demonſtrant, atque adeo præteritorum cognitionem, præſentium inſpectionem, & futurorum continet prædictionem. Hygieina ſanitatem tuetur, & quominùs in Morbos incidat Corpus præcauet. Therapeutices ad curationis opus accedit: vel eſt, quæ legitimo-

rum

rum admotione præsidiorum morbum propulsat, sanitatemque restituit, & in summa docet medendi rationem. Hæc in tres partes diuiditur, quæ sunt Dietetica, Pharmaceutica, Chirurgica. Dietetica curandi rationem per victum tradit. Pharmaceutica medicamentis intra, & extra corpus admotis, Chirurgica verò manibus, & actione medetur.

Sequitur Mathematica, quæ est scientia de Ente extenso discretè, siue continuè. Mathesis est Abstracta, vel Concreta; Abstracta circa nudas, & ab omni materia separatas quantitates versatur, estque Arithmetica, & Pantometria, vulgo Geometria; Ideo hæ scientiæ dicuntur purè Mathematicæ, quia ab omni abstrahunt mutabilitate, & sensibilitate; Concreta circa quantitates materiales est occupata; Hinc est, quod aliæ præter supradictas non sunt purè Mathematicæ, sed ex Physica mixtæ, quia quantitatem contemplantur in sensibili materia, vnde dicuntur Physico – Mathematicæ, & primis subalternantur. Mathesis Concreta partim est Generalis, vt Cosmographia, partim Specialis, vt Vranometria, Geographia, & similes.

Arithmetica est bene numerandi Scientia: Hæc est Generalis, vel Specialis, Generalis de suo agit subiecto, eiusque principijs, & affectionibus; Subiectum est numerus, est enim id, circa quod Ars ipsa consumitur, & ad quod vniuersæ illius præceptiones referuntur. Consideratur autem Numerus, vel abstractè, vel concretè, abstractè in Arithmetica generali, quæ aliter dicitur Theoretica, concretè in Speciali, alias Practica, vel Relata. Arithmetica Generalis est simplex, vel comparata, seù collatiua; Simplex, qua Numeri tractantur comparationis expertes, estque numerorum Homogeneorum, vel Heterogeneorum; Homogenei dicuntur integri 1. 2. 3. vel fracti $\frac{1}{2}$. Heterogenei integri cum fractione, vt 4 $\frac{3}{4}$. Computatio Homogeneorum est, vel integrorum, vel fractorum. Computatio integrorum dicitur Algorithmus, seu Quinque Species, complectitur enim quinque species numerorum integrorum, hoc est modos numerandi primos per totam Arithmeticam diffusos, qui sunt Numeratio, Additio, Subductio, Multiplicatio, Diuisio. Comparata est, quæ exponit numerorum inter se comparationem, æqualitatem, inæqualitatem. Hæc dicitur Sincritica; Minutia, Pars, vel fractio, Numerus fractus, vt $\frac{1}{4}$. Arithmetica Specialis est vel Scientifica, vel Popularis; Scientifica est vel Abstracta, vel Concreta; Abstracta, seu Geometrica est computatio numerorum figuratorum; Numeri figurati sunt, qui ex multiplicatione facti, certam figuram exprimunt. Arithmetica Scientifica concreta est, vel Cossica, vel Astronomica, vel Geodætica. Arithmetica Cossica vsitatè dicitur Algebra, quæ specialis est Arithmetica de valoribus figuratis: Valores figurati sunt ipsi numeri figurati, pro vt rebus numerabilibus applicantur, vel sic definiri potest, Algebra est Scientia, quæ ex datis magnitudinibus æqualitatis beneficio magnitudinem ignotam adinueniens, explicans, atque demostrans, problemata non soluta soluit, malè soluta reijcit, atque Theorematum veritatem inquirit. Duplex est autem Algebra, Vetus, & Noua; Vetus dicitur Numerosa, quod numerorum Caracteres adhibeat; Noua dicitur speciosa, quod Alphabeti formas, speciesque frequentet. Rursus Algebra duplex est, Theoretica, & Practica. Theoretica considerat rationem, quam habent ficti Numeri ad Veros: Practica est posita in numeratione, & reductione. Numeratio Cossica est, quæ sumptum fictum, sicut verus, qui quæritur, numeratus fuerit, numerat, donec habeatur fictus æqualis dato vero; Algebra est vocabulum Arabicum, significans doctrinam hominis Excellentis, siue Artem Magistralem, dicitur etiam Almucabala, idest occulta traditio. Arithmetica Astronomica est, quæ rationem tradit Minutiarum physicarum, siue partium Astronomicarum, alias dicitur Logistica Physica, vel Astronomica, & absoluitur Algorithmo fractionum Astronomicarum, idest numeratione, & compositione Astronomica. Arithmetica Geodætica tradit computationem mensurarum, & ponderum; Mensuræ aliæ referuntur ad longitudinem solum, aliæ ad longitudinem simul, & latitudinem, aliæ ad Corporum capacitatem; Illæ

lineales,

lineales, istæ superficiales, hæ corporales dici possunt, Arithmetica Popularis est Historica, Symbiotica, & Militaris. Historica est de Monetis, mensuris liquidorum, atque aridorum, & ponderibus apud celebriores Nationes. Arithmetica symbiotica est, qua Valor, & resolutio Monetarum, Mensurarum, & Ponderum in quotidiano vsu indicatur. In his spectatur Æquatio Synthetica, & Analytica: æquatio Synthetica est, qua partes rediguntur in integra per diuisionem; Æquatio Analytica est, qua integra resoluuntur in partes per multiplicationem. Arithmetica Militaris tormenta respicit bellica.

Arithmeticę subalternatur Trigonometria, & Musica; Trigonometria est Doctrina de Triangulorum dimensione, qua ex angulis cognitis ignota latera, vel ex lateribus cognitis ignoti anguli, & mixtim artificiosè dignoscuntur. Trigonometria duplex est, Linearis, & Logarithmica; Linearis est, quæ procedit per lineas sinuum tangentium, secantium, & sinuum versorum per numeros expressas. Logarithmica procedit per numeros Artificiales exprimentes easdem lineas sinuum tangentium, &c. Rursus Trigonometria diuiditur in planam, quæ circà Triangula plana, & Sphæricam, quæ circà Sphærica versatur. Musica est scientia benè canendi, aliàs Harmonica, & Musathena dicitur; estque Generalis, & Specialis, Generalis de suo agit subiecto, principijs, & affectionibus; Subiectum est Cantilena Harmonica. Cantilena Harmonica est sonorum multitudo concinna, ritè iuxtà textum composita; præcipua enim vis Cantilenæ in eo posita est, vt textui, & affectibus sit accomodata.

Principia interna sunt materia, & forma; Materia complectitur partes integrales, ex quibus fit cantio Harmonica: Istarum partium alia est Simplex, alia Composita; pars Simplex dicitur Sonus, & Monas Musica; Sonus Musicus consideratur quoad quantitatem suam, & signa; Istius Doctrina dicitur Musica Theoretica, huius Signatoria; Quantitas est triplex, Longitudo, Latitudo, & Crassities; Longitudo Soni Musici est, quæ cernitur in ipsius motu, seu duratione, & mensuratur tactu Musico. Latitudo Soni Musici est, quæ in spiritu tenui, & aspero cernitur; Crassitudo Soni Musici in ipsius cernitur altitudine, atque profunditate. Signa Soni Musici sunt soni longi, lati, vel Crassi; Signa Soni longi notant eius durationem, suntque Nota, Pausa, &c. Signa Soni lati sunt Punctum Auctionis, Suspirium, & Syncope: Signa Soni Crassi sunt Lineæ Parallelæ, quæ sunt decem, vel quinque, &c. Sequitur pars composita Cantilenæ harmonicæ, cuius tractatio dicitur Musica Practica, seu Melopoetica, si accedat forma Cantilenæ. Pars Cantilenæ harmonicæ composita est, quæ coalescit ex sonis, seu Monadibus Musicis, estque Dyas, vel Trias Musica: Dyas Musica est, quæ ex duobus sonis coalescit: Trias, quæ oritur ex tribus sonis, & totidem Dyadibus. Forma Cantilenæ harmonicæ est Monadum, Dyadum, & Triadum Musicarum iuxtà textum artificiosa dispositio, quæ dicitur Melodia. Melodia est simplex, vel composita; Illa Monodia, hæc Symphonia dicitur; Simplex vnica vocem Musicarum serie contenta est, qualis cernitur in Musica Chorali. & dicitur Vnicinium: Melodia Composita est, quæ plures simplices inter se confert Melodias, & vsitatè dicitur Contrapunctus, qualis cernitur in Musica figurali. Affectiones Cantilenæ sunt certum Modulandi genus, tonus, &c. Musica specialis est ex materia; Sacra, Ciuilis: ex Caractere; grandis, Mediocris, Humilis; ex Causa; organica, vocalis, Instrumentalis, Mixta; illa fit voce hominis; ista Instrumentis certis; hæc voce, ac instrumento simul: Ex artificio; est Choralis, vel figuralis; illa in suis Notulis æqualem seruat mensuram, & ab Authore dicitur Gregoriana, item Vetus, & Plana; Hæc, Notæ cuius inæquales mensuram variant, ab Authore dicitur Ambrosiana, itemque Mensuralis, & Musica Noua. Alij Musicam in tres partes diuidunt, nempè in Harmonicam, Organicam, Rhythmicam; Prima Ore, altera Manu, tertia flatu fit, quos cantus Vocum, neruorum, & Tibiarum Cicero in Rosciaca nominauit: his addunt etiam Mundanam, quæ in Concinno Corporum

Cœleſtium motu, ac elementorum conſenſu ſtatuitur, quæ Mundi Harmonia vocatur.

Panthometria, vulgò Geometria eſt benè metiendi ſcientia. Geometria eſt Generalis, & Specialis; Generalis dicitur Geometria Theoretica, hæc Practica, vel Geodæſia. Geometria Generalis explicat Subiectum ſuum, principia, affectiones, & ſpecies ſubiecti. Geometria ſpecialis, ſeu Geodæſia rei materiatæ magnitudinem docet inuenire. Partes Geodæſiæ ſunt tres, Euthymetria, Embadometria, & Stereometria. Euthymetria, ſeu Longimetria Geodetica modum proponit lineas rectas qualcunque metiendi; hæc Synegdochicè dicitur etiam Altimetria. Embadometria, ſiuè Planimetria Geodætica eſt, qua ſuperficies rerum quadratæ, ſiuè areæ menſurantur. Stereometria Geodætica corporum aream, ſiuè capacitatem per cubica corpuſcula inueſtigat. Dicitur etiam Solidimetria, & Synegdochicè Profundimetria, quamquam hoc nomine ſignificari potius videtur pars Longimetriæ, quæ opponitur Altimetriæ.

Geometriç ſubalternatur Coſmographia, quia vtitur, tanquam primis principijs, propoſitionibus in Geometria demonſtratis. Coſmographia eſt Sphæræ Mundi ſcientia, agit enim de Magnitudine Mundi, præcipuiſque Partibus eius; appellari etiam poteſt Coſmoteoria: Differt autem à Coſmologia, quæ eſt pars Phyſicæ, quod illa contempletur Mundum, quatenus eſt corpus Naturale, hæc quatenus eſt corpus Menſurabile. Coſmographia eſt Generalis, & Specialis; Generalis agit de Sphæra Mundi in genere; Sphæra Mundi in genere eſt Corpus rotundum, Cœlum, Terramque complectens; Sphæra Mundi eſt realis, & repræſentatiua; Realis, vt eſt in ſe, repræſentatiua, vt repræſentat realem. Coſmographia Specialis eſt Vranometria, & Geographia. Vranometria Sphæram Cœleſtem, Geographia Terreſtrem explicat. Diuiditur Vranometria in Aſtronomiam, & Aſtrologiam. Aſtronomia eſt prima pars Vranometriæ de Motu Corporum Cœleſtium, eorumque menſura; Eſtque prima, vel Orta. Prima eſt de Motu, & menſura corporum Cœleſtium in ſe conſideratis ſine reſpectu ad Tempus; eſtque vel Sphærica, vel Theorica Planetarum; Sphærica eſt prima pars Aſtronomiæ de tribus Superioribus Sphæris, ſcilicet primo Mobili, Cœlo Chriſtallino, Cœloque Stellifero, vel Firmamento. Theorica Planetarum agit de ſecundo Planetarum Motu, eſtque Generalis, vel Specialis; Generalis agit de numero, Orbibus, & communibus Planetarum affectionibus; Specialis agit de planetarum diuiſione, & paſſionibus proprijs. Aſtromomia Orta agit de Motu, & menſura Corporum cœleſtium reſpectu temporis, quæ dicitur Computus. Computus eſt Theoreticus, vel Practicus. Theoreticus expendit partes temporis, eaſque tùm minores, tùm maiores; Minores ſunt Minutum, Hora, Dies; Maiores Septimana, Menſis, Annus. Computus Practicus agit de Canone Mathematico, & Calendario. Canon Mathematicus agit de Syſtematis Annorum Mathematicis: Syſtemata Annorum Mathematica ſunt variæ Annorum connexiones, aliæ breuiores, aliæ longiores, vſitatè dicuntur Cycli. Calendarium eſt Artificioſa digeſtio Menſium, & dierum Aſtronomicorum, vel Politicorum, de Feſtis Mobilibus, Litera Dominicali, Epactis, &c.

Aſtronomiæ eſt affinis Aſtrologia, quæ definitur facultas, quæ ex Syderum natura, poſitu, motibus, & eorundem varijs inter ſe configurationibus, & aſpectibus futuros euentus præcognoſcere conatur. Aſtrologia diuiditur in Naturalem, & Iudiciariam; Prior eſt, quæ Aſtrorum maximè Planetarum ortu, occaſu, coniunctione, varioque aſpectu, ac colore de futuris Elementorum affectionibus coniectat; hæc in quantum præcognoſcere conatur euentus merè naturales circà tempeſtates, pluuias, Ventos, habet aliquod fundamentum, licet ſaltem in hominibus ſit omninò dubia, & incerta propter multitudinem planè innumerabilem cauſarum, ex quibus pendent tales euentus. Iudiciaria eſt, quæ obſeruato Syderum aſpectu, iudicat de futuris a libero Arbitrio aliquo modo dependentibus, alijſque humanis Caſibus; imò & de rebus præteritis, cuius Vſus per ſe malus, & Illicitus, ideo non eſt apponenda in noſtra Encyclopædia, caret enim omni fundamento, & ipſius principia neque

ſunt

sunt nota per rationem mathematicam, neque per physicas experientias, quæ potiùs ostendunt Astrologorum prædictiones ferè semper esse fallaces, ac proindè siquandò sunt veræ, veras esse causaliter.

Geographia est scientia de Magnitudine Globi, ex Terra, & Aqua compositi cum quadam ad Cœlestem Sphæram Coordinatione; est autem magis Physica, quam Geometrica; Partes illius duæ sunt, vna Generalis, altera Specialis; illa dicitur Astronomica, hæc Historica: Generalis tractat de Globo terrestri, vel reali, vel repræsentato, idest, vel vt est in se, vel vt in Sphæra artificiali repræsentatur: Historica est de diuisione Terræ historica, eiusque repræsentatione: Diuisio est, quod sit cognita, vel Incognita, Borealis, Australis, &c. Diuiditur autem Geographia Specialis in plures partes, quæ sunt, Hydrographia, Topographia, Chorographia, Histiodromia. Hydrographia est doctrina de dimensione aquæ: Hydrographia est Prima, vel Orta; Prima tractat de Mari, Orta de Lacubus, Fluminibus, Fontibus. Topographia est Loci descriptio, Chorographia regionis, Histiodromia de Nauium cursibus.

Sequitur Perspectiua, quæ definitur Scientia de superficiebus, ac lineis vt visibilibus. Perspectiua est specialis Geometria, itemque Geometrica in Visu, Luce, Colore, & Vmbra, sicut Musica dicitur esse specialis Arithmetica, itemque Arithmetica in Auditu. Est autem Perspectiua in hoc sensu Geometria, in quantùm considerat superficies, ac lineas; in quantùm autem contemplatur Visibilia, est Physica, & demonstrat suas conclusiones à priori per principia Geometrica, & à Posteriori per principia Physica, & per oculi experientiam cognita. Diuiditur autem Perspectiua in Opticam, Catoptricam, Scenographicam, Ichnographicam, Orthographicam, Dioptricam. Optica est de ijs rebus, quæ propter situm, seu rei visæ distantiam ab eo, quod sunt, diuersæ apparent. Catoptrica in multis, varijsque reflexionibus exercetur, & cum cognitione coniecturali admiscetur. Scenographica modum edocet, ne res in imaginibus apparentes turpes, aut deformes videantur, rerum figuratarum altitudinem, siuè distantiam respiciens. Ichnographica est plani descriptio, siue futuri operis in plano delineatio; Ortographica est partium, & frontis erecta imago: Dioptrica, cùm linda alidada instrumentis mathematicis vtimur ad altissima, & remotissima oculis indaganda.

Geometriæ insuper additur Statica, græcè Bariometria, quæ est Scientia de grauibus, seu magnitudine ponderosa, ac de ponderibus: Hæc in quantùm agit de Magnitudine, est Geometria, in quantùm de pondere, seu grauitate sensibili, est Physica; Staticæ subordinatur Mechanica, quæ est scientia de ponderibus vt mobilibus per Machinas. Mechanicæ subijcitur Centrobarica, vel Isostheneognosia, Organopœia, Thaumatopœia, Sphæropœia, Hydrostatica, Hydraulica, Pneumatica, Authomatica; Centrobarica est æquilibrantium omninò, atque eorum, quæ Centroponderantia vocantur. Organopœia est eorum instrumentorum effectrix, quæ gerendis sunt bellis idonea. Thaumatopœia est mirabilium prorsus rerum effectrix, quippe quæ alia quidem spiritibus maximo cum Artificio construit, alia autem ponderibus, quorum motus quidem inæquilibrium, status verò æquilibrium esse causam censendum est, alia verò neruis, spartisque animatas conuolutiones, ac motus imitantibus. Sphæropœia est effectrix Sphærarum ad Cœlestium circumuolutionum imitationem. Hidrostatica est de insidentibus fluido, tam in natantibus, quam descendentibus. Hydraulica est de Machinis, quarum motus fiunt per motus ipsius aquæ. Pneumatica de Spiritalibus Machinis, idest per spiritum, vel aerem motum habentibus. Authomatica est de spontè se mouentibus.

Schematometria tandem est pars Geometriæ practicæ de figuris mensurandis, estque simplex, vel collatiua; simplex est generalis, vel specialis; Generalis complectitur artificium mensurandi figuras generale, & causas ostendit, cur figuræ ita sint mensurandæ. Sche-

matometria specialis est Epipedometria, & Stereometria: Epipedometria est Schematometria superficierum, Basis in Epipedometria est linea. Epipedometria est vel superficiei per se, vel quatenus terminat corpus: Superficiei per se, vel vnius, vel plurium: Vnius, planæ, vel Gibbæ: Plana superficies, quatenus Corpus terminat, dicitur Hedra; plures superficies corpus terminantes faciunt Hedricum, cuius Epipedometria est Hedricometria. Stereometria est Schematometria corporum. Schematometria collatiua confert figuras mensurandas discretè, vel continuè.

Postquàm de Philosophia Theoretica egimus, sequitur Philosophia Practica, seu moralis, quæ diuiditur in Ethicam, Politicam, Oeconomicam, cui addunt alij Scholasticam, Philosophia Moralis habet pro obiecto actus humanos vt Morales, & ratione regulabiles. Quià autem media, per quæ felicitas Moralis in subiectum introducitur, sunt Virtus Moralis, & actio eiusdem virtutis; hinc est quòd Ethica Generalis diuiditur in Aretologiam, & Praxiologiam Moralem, cui additur Symbiotica docens benè simul viuere, & Ciuilitas morum. De Virtute Morali eiusque diuisione licet hic loquendi locus videatur, quià tamen alibi de eadem fortasse sumus specialiter locuturi, hic addemus, quod Arethologia agit de Prudentia, Fortitudine, Iustitia, Temperantia, &c. Praxiologia generaliter tractat de actione morali. Oeconomica est Prudentia Symbiotica de bono familiæ; huic subalternatur Idea boni Patris familias; Oeconomia Sophoclea, seu Viri Literati. Oeconomia Satrapica, seu Præfectorum. Politica est Prudentia Reipublicæ benè gerendæ; diuiditur autem in Polemicam, seu Militarem, in Institutionem Principis, & Ideam boni Principis. Scholastica est Prudentia de felicitate Scholastica obtinenda; à quibusdam dicitur Politia Scholastica.

Quartus Intellectus Habitus est Prudentia, quæ est recta ratio agibilium, & eius obiectum est omne agibile, seu omne, quod cadit sub electione, & libero arbitrio. Prudentiæ partes integrales sunt Memoria, Intelligentia, Docilitas, Eustochia, Ratio, Cautio, Circumspectio, Prudentia. Memoria est recordatio eorum, quæ legimus, audiuimus, vidimus, aut aliter experti sumus, è quibus facilè quid expediat in præsenti negotio colligimus. Intelligentia dicit præsentium notitiam; vt enim prudenter iudices, necesse est præsentem rei statum tibi esse probè perspectum. Docilitas est, per quam aliquis fit disciplinæ benè susceptiuus, & ita importat affectionem, & promptitudinem ad discendum. Eustochia est habitus, qui prouenit ex repentinis, vt inuenias quod congruit; deseruit autem, vt homo per se ipsum inquirendo, citò rectam rei æstimationem assequatur, & accipitur solertia pro Eustochia, cuius est pars; nam Eustochia est de quibuscunque coniecturatiua; Solertia autem, vt eiusdem ponitur species, est facilis, & prompta circa medij inuentionem coniecturatio; sed cùm ponitur pars Prudentiæ, conuertitur cum Eustochia. Ad solertiam reducitur Sagacitas, prout in bonum accipitur, & est callida, & acuta cognitio, atque futurorum præsagium, quasi illa, antequàm eueniant, sentiamus. Ratio dicit ratiocinandi aptitudinem, & aliud ex alio legitimè colligendi: Vndè non sumitur pro ipsa potentia ratiocinatiua; sed pro eius dispositione potiùs, & vsu. Cautio importat attentionem ad mala, quæ bonis admisceri possunt præcauenda; & ita curat, vt quantum fieri potest, vitentur incommoda, quibus res expositæ sunt, ne fortè incidat in Scyllam, cupiens vitare Carybdim. Circumspectio dicit ad omnia, quæ occurrunt, attentionem, & illius, quod in finem ordinatur, conferentia cum his, quæ circumstant. Prouidentia videtur futurorum prospectum importare, ne quid ex necessarijs desit in opere.

eserciti, sí gagliardamente stringendolo, che in breve lo provaste, giá vinto, prigioniero del vostro seno. E non sará poscia vero, che *Nec similem visa es, nec habere sequentem?* Fiorirono ricche di be' pregi, e a tal fine riverite dal mondo, favorite dal Cielo, come fan chiaro le sagre storie, a' tempi loro le Ester, e le Racheli; atteso ció nondimeno, *Nec similem visa es, nec habere sequentem*. Ed o quanto bene, Uditori, risponde agli applausi di Bernardo l' encomio del savio ne' proverbi al trentesimoprimo, *Multæ filiæ congregaverunt divitias, tu supergressa es universas*. E per vero dire, a qual novero mai d' anime giuste quanto grandi puossi aggiugnere la Vergine senza che resti appo lei cosí offoscata la gloria loro, che affatto si perda di vista? *Tanta erat* [udite come di essa favella in iscrivendo ad Eustochio l' Oracolo di Palestina] *Tanta erat vitæ eius claritas, vt omnium vitam quodammodo obscuraret*. Tale a fronte di Maria scemar suole il fulgore d' ogni santitá piú conspicua, quale appunto al primo discoprirsi del Sol nascente ogni minor lume s' estingue. Che altro fu quell' uniformitá al Divin volere, qual'ebbe sempre il coronato Profeta, onde meritossi d' esser riconosciuto per uomo formato secondo il cuore di Dio, se non vn ombra di quella costanza d' animo, di cui si valse a temprare non men' i prosperi, che gli avvenimenti sinistri Maria? Ella vedesi umiliato d'avanti Messaggiero Celeste; sentesi dichiarata Madre dell' Eterno Verbo, da incarnarsi nel ventre suo Verginale; intende d' esser giá destinata Regina sopra tutt' i Cori degli Angioli; pur nondimeno senza punto sollevarsi nell'animo tra cosí alte fortune, accetta per lo contrario come serva le risoluzioni del suo Re, del suo Dio. Onde vedetela colá mendica pellegrina in Betlemme costretta a partorire al mondo in un vile abituro fra mille stenti l' Altissimo. Ed o fossecí pur dato di penetrar con lo sguardo per entro 'l petto alla partoriente Nazarena; quanto meglio, di quel che possa facondia umana ridire, ravviserebbe ciascheduno un cuore, che punto non si sbigottisce, oppressato da urgenti bisogno in un' estrema penuria d' ogni umano sollievo! Ma, se volete meglio accertarvi della sua tollerante fermezza, tenetegli dietro d'occhio, e seguitela fuggitiva in Egitto, alla qual volta s' invia per iscampare l' Vnigenito suo dalla morte, che tramagli la crudeltá d' un Erode; e finalmente per tacere di null'altri infortuni, contro de' quali valsegli di schermo la generositá del suo magnanimo instinto unito sempre al Diuin beneplacito: osservatela su la scena del Calvario spettatrice della lagrimevol tragedia compita colla morte del suo innocente figliolo. Bene conchiuderassi, io nol niego, Signori, dal pianto, che in larga copia ella diffonde su 'l petto, che l' acerbitá del dolore gli ha trapassate vivamente le viscere: ma non per questo gli ha tolto nulla della sua virtú grande, che la rese sempre piú coraggiosa contr'ogni sorta di male, fortemente accettandolo come dato dal Cielo. Tanto in lei ebbe forza, tanto in lei risplendette cosí rara eccellenza. Ne solo in questo Maria fa, che gli altrui vanti al suo cospetto s' annullino. Chi é, che faccia scura parere, e quasi contaminata la Castitá d' un Giuseppe, se non il candor Verginale di Maria, che con istupore della natura illibato serbossi, congiunto al titol di Madre? Chi costringe a modestamente nascondersi l' eminente Santitá d' un Giovanni, se non anche 'l solo riflesso della Santitá di Maria? Egli fu prima giusto, che nato; ma non per questo se gli concesse schiuare quel contagio pestifero, che in retaggio l' umana posteritá da' primi suo' ptogenitori ritrasse. La Vergine peró, come vuol la Pietá, che si creda, fin nel primo momento della sua Concezione adoranda fu ricolma di favori dal Cielo, e senza alcuna macchia poté da quell' istante sommamente piacere al suo Dio. Rodasi d' astio invincibile il nimico comune, in ravvisando preservata dal suo veleno Maria; che ben' era il douere, che sceura fosse dal seruaggio di lui, quella, che douea poscia signoreggiar sopra 'l Cielo. Squarcisi per furore il seno l' inuidia, non ritrovando ne pure menomissimo neo nella bell' anima di Maria; ed impari suo mal grado a conoscere, essere stato onninamente dicevole, che in ogni sempre pregiassesi come innocente colei, che dovea quinci esser Madre dell' Innocenza medesima. E dubiterassi del vostro dire, o Girolamo, che in paragone di Maria la gloria d' ogni gran Santo s' eclissi? Vdite l' illuminato Epifanio, Spiriti ben nati, e se potete negate luogo all' applauso. *Virgo est lilium immaculatum*; dice egli, *sublimior Angelis facta est; superior ipsis Cherubim, & Seraphim*. Fortunata Nazarette! degnissima al certo, d' essere appellata Cittá di fiori, solo perché servisti di terreno natio a questo giglio purissimo, da cui vanto assai maggiore ritrai di quello, che riconosca originato dalle sue piramidi il Cairo, pazzamente credute dalla mondana follia merite voli di Poema, e di Storia. Rallegrati teco stessa per cosí segnalato favore, che ricevesti da Cielo, e senza porti all' inchiesta di ridire a parte a parte le prerogative di questo mistico giglio qual' é Maria, procura piú presto d' adorarle umiliata; che sarebbe temeritá mal soffribile la tua, voler tentare con isdrucita barchetta l' immensitá d' un Oceano, in cui le piu superbe navi con i lor coraggiosi Palinuri si perdono. E

qui mi

quí mi cado in acconcio, Signori, manifestarvi gli affetti svisceratí del dottissimo Anselmo, il quale spesse fiate rivolgendo l' animo alla sua come nostra Signora, con voci piene di stupore dicea: *Nil tibi Domina æquale, nil comparabile. Omne, quod est, aut supra te, aut infra te est: Supra te solus Deus; infra te omne, quod Deus non est.* Al che ben s' accorda quel dell' estatico Cretense; *Excepto Deo sola est omnibus maior*. O veggasi adesso, se v' é umano 'ngegno, che possa senz' errore promettersi di ritrovare con i suoi sforzi titoli, che pienamente sodisfacciano a' meriti di Maria. O Dio! sento per questa parte chi aspramente rampognando il mio dire come troppo pungente, freme seco stesso, affermando auer' egli indole cosi spedita, che vale a sollevarsi dove non giunse veruno, Taci mal consigliato che sei, se non vuoi sperimentare i giusti sdegni del Cielo provocato dalla tua mal nata superbia, E qual concetto puó mai caderti nell' animo, che da vicino giunga a farsi simigliante ad oggetto sí nobile? Dirai: Ma e che dirai di Maria? Forse lei essere quella Cinosura propizia, che co' suo' raggi alle navicelle spalmate de' naufraganti mortali addita il porto della sempiterna salvezza? Forse quell' invincibile Eroina, che con piú che maschio valore fece cadere palpitanto al suo piede, non la generositá di sperimentato Campione, ma sibben la fierezza dell' inferno medesimo, con iscorno perpetuo conquiso? Forse quella Sposa fortunatissima, che seppe con sí leggiadre maniere procacciarsi gli amori del Sovrano Re della gloria, che feritolo alla per fine vivamente nel cuore, lo strinse con dolcissima violenza, va divenirne cosí fervido amante, che riputasse per nulla dopoi, scordarsi affatto delle sue adorande grandezze, e farsi prigioniero nell' angusto seno di lei? E che t' é d' uopo lo 'ntendere, essere stati giá tutti questi titoli d' onoranza attribuiti alla bella Sunamitide del Libano dall' eloquenza forbita de' piú chiari Dicitori, de' quali vada lodevolmente fastosa la Cristiana Repubblica; riconosciuti peró troppo bassi paraggi, per dar titolo di giusta lode a Maria. Il perché richiama a piú savio consiglio il pensiero; e dall' esempio di sí pij, come dotti Vditori, quali giá dalla mia si dichiarano: e da quel che udisti testé impara ad inferirne per conclusione legittima, esser Maria il piú stupendo miracolo, che giammai producesse l' Onnipotenza Creatrice di Dio.

ENCY-

ENCYCLOPÆDIA HIEROPHILOMATHVM.

ELOGIVM

Siste Viator:
Arbor isthæc, quam suspicis,
Quemque illicit amicabiliter,
Habens unde peregrinos tegat, & protegat.
Felicitatis quidreliquum ex hac vita possis eligere;
Si scias vota tua hic alligare?
Æger amænitatem decerpis ex frondibus;
Ex fructibus saturitatem esuriens.
Ne formides perituras hyemis severitate delicias;
Hæ siquidem, favente Cęlo,
Æterni Veris serenitate foventur,
Plantę huius iucundissimum nemus
Delicatiori non minus Etesiarum flamine,
Quám quadruplici regiorum Amnium flumine
Messem educat, quam educit.
Nobilissimum germen itá fœcunditatem exhausit,
Vt citrá probrum sterilitatis
Illi gemellam dare non possit,
Vsqueadeó vnius huius Plantæ donum
Valet numeri damnum pensare.
At quid ampliús in verbis?
Quidquid dives propria nitescit virtute,
Alienæ auxesis ad illustrationem non indiget.
Progredere, si placet, progredere.
Forsan quæ probet oculus,
Quæ nec improbet animus,
Ex Viatore spectator mirabere.
Gratissimo Hierophilomathes serto Patronam
Virginem vt exornarent,
Spolijs suis Arborem hanc exonerarunt:
Cuius tamen ex hoc stupebis non haustum honorem,
sed auctum.

VIRTVS INTELLECTIVA

Ego quasi Terebinthus extendi ramos meos. Eccl. 24.

EPIGR.

QValiter assurgit Syrijs Terebinthus in aruis,
Gandet & undantes explicuisse comas;
Sic ego mellitos fæcundo termite fœtus
Eduxi ad Superas prodigiosa domos.
Nostra cleonæis non uritur ignibus æstas;
Nec tenerum mordet strictior aura nemus.
Ver alit æternum: lege serta viator ad umbram:
Fronde hac astrorum præmia victor adis.

HEXIOLOGIA.

Disces Sapientiam, & doctrinam Intellectus. Eccl. 8.

EPIGR.

SCire iuvat: terris nil sciro beatius; aurum
Congere: Thebanam plus amo pauperiem.
Scire istud, nescis, qua manet origine? lector,
Tolle oculos; nostra ex arbore messueris.

TECNOLOGIA.

Sternam per ordinem lapides tuos. Isa. 24.

ALLEGORIA.

QVi celsam corde aggrederis non territus ædem,
Ne trepida, inceptum Virgo iuvabit opus.
Sola ego si moli iaciam fundamina; spernat,
Orbe licét vitreo, calce premente solum.

ARCHE-

ARCHELOGIA.

Principium verborum tuorum veritas. Ps. 118.

EPIGR.

COr niveum niveo fluit ore Virago: nec ullus
Flevit adhuc verbis acta tulisse fidem.
Ergo si moneas, capiti quæ fata superſint;
Turpe eſt, ni Galla credulitate fruar.

DIDACTICA.

Viam Sapientiæ monſtrabo tibi. Prou. 4.

EPIGR.

QVisquis ades, mi gnate, pedem compeſce: furentes
Cer quot inſani pectoris ardor agit.
Plurima Caſſandra eſt, & plurimus orbe Chorœbus.
Me ſequere; inſideat plurimus ore Plato.

INTELLECTVS.

Tecum principium in die virtutis tuæ. Ps. 109.

SYLVA.

EX quo corporeos vigor indolis occupat artus
Nazari; Sol animi,
Solertiæque nobilis
Cæſar, adorato Sapientia Numine Patrem,
Quem prona iactat, adfuit,
Vt Virgo primùm ocellulis ſalutaſti
Tenella Phoebum, prodiens cavernoſo
Blãdicella,mollicella pupa clauſtro matris,adfuit:
Vt famulatrices ancillarentur eunti,
Virgo, tibi virtutis iter, Cęlumque petenti,
Quas habet ille, faces.
I nunc Tenareis edita regnis
Inimica recti fraus, probroſis
Vtere moribus, tere; fraudes
Nazaris eludet, tutaque carpet iter;
Haud imparatum fraudibus pectus gerens.

INTELLIGENTIA.

Veritatem meditabitur guttur meum Prou. 8.

EPIGR.

ITe Cleantheis tricata ſophiſmata technis;
Pythagoræorum pergite ſpectra ſenum.
Migrate Argolicis, quæ ſat luſiſtis, arenis
Fraudes, & quidquid ſabula Graia tulit.
Non patitur noſtrum deliria vana theatrum;
Nec perſonato ſubſtinet ore greges.
Vera placent: cordiſque placet ſyncera venuſtas.
Hinc, ni vis fucum tollere, tolle pedem.

SYNDERESIS.

De Vtero Matris meæ egreſſa eſt mecum. Iob. 31.

EPIGR.

MI Ieſu, mi Sponſe, ſacrorum Cæſar amorum:
Quo me cunque cies, pes celer vſque ruit.
Imperioſa animo vis inſidet; illa, quid optes,
Erudit; & fædum præcavet illa ſcelus.
Illa mihi, blandis dum vitæ proderer auris,
Prodijt é clauſtro matris amica ſoror.
Sępé nocent fratrum, ſæpé obſunt iuſſa ſororum;
Pareo tuta tamen, dum iubet iſta ſoror.

CONSCIENTIA.

Audite me, timorem Domini docebo vos. Pſal. 35.

CARMEN.

HVc tener Aſtyanax, vernantis Alumne leporis,
Florentes ętate genas cui circinat oſtrum;
Quique ſubis Priame occiduos periture Decembres
Huc ades, & pronam ſublimior evehe frontem.
Quę legit in pratis formoſa Polyxena flores;
Queque lupercalem Lucretia reſpuit anguem,
Succedant noſtris, patet area tuta, theatris.
Illa ego Cęleſtum ſeruatrix integra morum,
Ne cordis maculetur honos, candorque veneno
Tabeſcat, rutilis quod Circe operoſa roſetis
Inſerit Ægyſtho turpem paritura nepotem;
Erudiam validas flammis armata ſagittas,
Quas vibret ſontum metuenda potentia fibris.
Interea hęc animo memores inſcribite. Reges,
Quos Epicuręis nutrit brevis hora culullis,
Gandet inocciduo ſorberier Æacus ęſtu.

INTELLIGENTIA ORGANICA.

In arte ſua ſapiens. Eccli. 38.

DIST.

VLnis in Marię Deus eſt: i provida Pallas,
Exemplar, quod opus dirigat artis, habes.

SAPIEN-

SAPIENTIA.

Ex ore Altissimi prodivi primogenita ante omnem Creaturam, Eccl. 24.

ODE.

SIquem corusco sydere pulchrior
Platonianis parta Gerusijs
Iuuet venustas; tendat aurem,
Vera loquor, Decus omne transit.
Obliuiosa nube silentium
Septena Patrum nomina comprimit.
Exculta Athenarum theatris
Hora brevem paritura Cippum.
Me me venustant clara nitoribus
Semper virentis semina gloriæ;
Intaminatam me Tonantis
Alta docent monimenta prolem.

THEOLOGIA.

Conversatio Nostra in Cælis est. Philip. 3.

APOBATIRION.

TErrena linquo: scilicet invidis
Venusta tellus ridet honoribus:
Coinquinantem sepé præbet
Illecebris animosa tedam.
Prægestientem me superæ ciet
Ardor Sionis: pergite ludicra
Sanitis arva: sordet agris
Qui Libani Genius triumphat.
Io supinus Acroceraunijs
Spectanda tollor. Non tenui ferar
Penna, volaturamque longé
Contremet Acrocorinthe Cypris.
Beatioris conscia luminis
Ibo, & Tonantis Numen amabilis
Scrutabor Auspex; nec recedam
Sydereis fruitura claustris.

THEVRGIA.

Semper Sanctum erit id, quod steterit in ea. Isa. 6.

ODE.

PVbes ingenuis integra moribus,
Cui lauro cohibet Calliope comas,
Torpes lenta? siles muta? reconditam
Pubes prome lyram; dic agé Nazarin.
Quam quam Virgineæ Matris adoream
Felici, rogitas, ordiar alite?
Nullus Carpathij classica Nereos
Misenus fragili sustineat trabe.
Virtutes numerem? o! in digitos prius,
Nec ludar, referam sydereas faces.
Turpi corda metu solve; quid ambigis?
Nescis? velle sat est rebus in arduis.
Hoc cantu repetas sedula: Virginis
Quæcunque innocuo fota latent sinu,
Virtutis specimen sunt, & amabile;
Quod lapsum ethereo limite proprijs
Messem seminibus procreet auream.

INCREATA.

Vestigia Dei comprehendes, & vsque ad perfectum Omnipotentem reperies. Iob. 11.

APOLYSIS.

ITo Nazari,
Nostros ala sinus
Te prætervehat;
Iro; delicijs,
Aula Numinis
Quas servat, fruere.
Sat terris datum est,
Disseca morulas,
Siquæ vincula
Innectant pedibus.
Astrorum pete
Præpes Virgo domos;
Lucidum tibi
Nemo occludit iter.
I, scrutabere
Castis luminibus,
Et nosces facem,
Æternumque iubar
Solis, qui die, &
Phœbo clarior est.
Sic vult, sic iubet
Sponsus; rumpe moras.

CREATA.

Revelat profunda, & abscondita. Dani. 2.

SYLVA.

SAcra togatorum soboles, quæ Daphnide crinem
Reuincta clarum parturis Tybridi decus,
Quid quid citato cordis anhelitu
Arcana Cæli oracula
Deprehendisse velis? non est mortale, quod optas.
Parce operi; vires ultrá qui Dædalus alas
Induit, Icarias inopina pericula sortes
Sustinuisse docent.

Et lapsu grauiore ruit, qui
Celsius ire parat.
Cæcutientem luce ne solis fleas
Pupillam, avara sis laborum;
Solertiorque Nazarini prius cohors
Amica consule.
Surgo; eamus quá sereni
Prævia sternat iter castissima tramitis index.
Eamus; & quæ iusserit,
Servemus; præcepta regit sapientia; matrem
Qua luminum ditat Pater.
Possunt cathedræ, fallere haud potest Virgo.

NATVRALIS.

Exortum est in tenebris lumen. Psal. 111.

EPIGR.

POstquam funereum decerpsit ab arbore pomum.
Heu! genitor sensit lumina nocte premi.
Posthuma gnatorum quoque mens caligat; & inde
Plus cepit noctis, lucis habere minus.
Æthereas pupilla videt non amplius auras;
Nimirum offusis lumen hebet tenebris.
Formidaret adhuc stolidæ caliginis vmbram,
Ni revocent raptum Nazaris ora diem,
Te duce syderei speculata Parentis Amorem,
Huc rerum interitum, & semina cuncta refert.

SVPERNATVRALIS.

Revelavit Iustitiam suam. Psal. 97.

EPIGR.

CErnere conantem quæ sint decoramina matris
Nazareæ ludunt irrita vota senem.
Ergo, inquit, potior veterum fortuna Parentum;
Quorum isthæc tutum semita fecit iter?
Plorat; & o! Genitrix rorantia lumina siccat;
Indé videt quali lumine Virgo micat.
Credite nunc oculos tabescere, credito, fletu:
Si non plorasset, viderat iste minus.

POSITIVA.

Fundamenta eius in Montibus Sanctis. Psal. 86.

EPIGR.

QVæ nostrum ingrederis, spectatrix Pompa, theatrum,
Quando studes Matre in Virgine nosse decus?
Rarú opus aggrederis, fateor, mihi crede sed ingens;
Quantum non animo concipis ipsa tuo,

Ne pete ridentis delitias vanæ Poësis,
Quam genitam somno fabula nutrit anus.
Si semel amoto quærantur seria ludo,
Sæpius illa tamen ludicra spectra gerit.
Vera cupis? Sacrorum oracula consule Patrum,
Veridico quorum profluit ore sophos.
Confer adorandis excussa volumina prælis;
Ista etenim dotes Virginis vna fovet.

SCHOLASTICA.

Qui elucidant me vitam æternam habebunt. Eccl. 24.

EPIGR.

SIccine, florentem dum corripit umbra cathedram,
Pigrior Eridano Gymnasiarcha sedet?
Dedecorat tacitus qui circinat ora veternus;
Qui vel Thersitem plasmate lentor alit.
Ornet Nazaream si mentis adorea Matrem,
Quam velit ad pluteum præmeruisse labor;
Clarabit pugilem, postquam suus asserit annus;
Qui non occiduo germine floret honos.
Præmia spondet amor, quæ Mater honestat amorum,
Nulla vnquam repetem queis potiora cadant.
O sors! o felix! decoramina prævia quisquis
Ingenij modico pignore sanus emit.

SYMBOLICA.

Speculum sine macula Dei Maiestatis, & imago bonitatis illius. Sap. 7.

ODE.

PRocul nepotum, scena præcavet luem,
Discincta proles exulet.
Summenianum quisquis ad circum strepit
Epicurus abeat insolens;
Procul hinc facessat, marcidos luxus bibens
E sordido Chiones scypho.
Nostra hæc arena respuit mores togæ
Catonianæ dispares.
Tenebricanti Virgines neo'la nives
Fœdarier adeó timent.
Æterni imago luminis micet sinu;
Amabilisque fulgurat
Fax ore pulchræ Nazaris; ocellis iubar
Purum Tonantis inuidet.
Ineptiarum mollis inventrix, lues
Morum, innocentiæ timor,
Phanaticusque mentis ardor, i Venus;
Venus i; recede Filijs
Timenda castis funera, ubi flagret tuis
Excita tellus ignibus.

MYSTICA

MYSTICA

Aperti sunt Cæli, & vidi visiones Dei. Eccl. 1.

EPIGR.

SÆpè coruscantes astrorum obiisse Penates
Mens velit; at frænis hanc cohibere iuvat.
Percitus æthereo, dum supprimo, spiritus œstro
Evolat; & tranans nubila sydus agit.
Panduntur Cæli postes, cortynaque prodit,
Quod non spectarint ulla theatra, iubar.
Cerno hic, sparsa licet sacra caligine, tellus
Quæ portenta putet, vix habitura fidem.
Vestigare studes hæc qui mysteria, pronus
Quò magis accedis, celsiùs ire potes.

PVRGATIVA.

Quæretur peccatum illius, & non invenietur. Ps. 9.

EPIGR.

TÆnareus siquando animum rimetur aruspex,
Quem non ulla notat, criminis umbra reum;
Vestiget quamvis altè penetralia cordis;
Nec levis in tota Virgine nævus erit.
Sorte tua felix Nasareia sponsa! nigrorem
Cui nec livoris parturiunt nebulæ.

ILLVMINATIVA.

In me omnis spes vitæ, & virtutis. Eccl. 24.

EPIGR.

ILla ego sydereis sum Præses amica theatris,
Divino cuius pectora rore madent.
Vnica nimirum Virtus mihi tota supellex,
Quam sibi qui studeat cogere, Cæsar erit.
Sordeſcis tituli, veri quibus inscia Pallas
Floret; Athenarum futilis aura senum.
Spernere quas laurus ea fert sapientia, non est
Extinxisse sibi; sed peperisse decus.

VNITIVA.

Ordinavit in me Caritatem. Cant 2.

EPIGR.

SPonse quid, aiebam, quid gaudia nostra moraris?
Eia age, rumpe moras; nil nisi lentor obest.
Suspexit, risitque; flagrantior inde medullas
Armatus flammis depopulatur Amor.
Cor timuit concepta fibris incendia: sed qui
Flagrat sub latebris pectoris, inquit, ama.
Cor responsat, amo; emoriar: moderantius uro:
Ah non! ure: meus morte probetur amor.

THEORICA.

Gloriam Domini speculabor. 2. Corint. 3.

ELEG.

ITe leves curæ; tenues procul ite labores:
Quid prosint humili parta trophæa iugo?
Qui semel Elæam sonipes animosus arenam
Pulsarit, molles increpat ungue vias.
Amphitryoniades obducta fronte triumphos
Respuat, imbellis si gerat arma puer.
Illustres animas iuvat empta cruore venustas;
Quæque madet mortis vulnere, palma placet.
Sordet humus; quosque ipsa parit, sordetis honores:
Cordis delicias sydera sola fovent.
Quis Tegeæa meis nectat talaria plantis?
Trade volaturas, Cyllare, trade rotas.
At quid vana moror? nimis hic piger impetus; alas,
Qui volat & ventis ocyor, addat Amor.
Ibo celer, Solisque vias transgressa, Penates
Ingrediar superum, quo mihi tuta quies.
Æternum hic Solem, maiestatemque verendam
Scrutabor, quo vel gloria fonte cadat.
Viribus hic equidem labor arduus: Heroinas
Nullum iter offendit; nulla pericla movent.

MORALIS.

Qui Operantur in me non peccabunt. Eccl. 24

EPIGR.

O Viles animæ, sordentia pectora, Circes
Sola quibus pellunt aurea pocla sitim!
Væ tibi! fauce trahis male cauta propago venenum;
Væ! comes est cyathi lacryma; meta dolor.
Sperne voluptates, & moribus utere nostris:
Sic mihi tu soboles, sic tibi mater ero.

INFVSA.

A summo Cælo egressio eius. Psal 18.

EPIGR.

HEroum genitrix, fortunatissima matrum,
Ferre togatorum, Græcia, siste greges.
Præterit Argolicam Pallas Nasareia Minervam;
Solaque Socraticos non timet illa vepres.
Nil mortalis habet, quæ diffluit ore venustas.
Quidquid inest verbis, lacteus humor alit.

Quæ minimè terræ redolet mellita lepores,
Ambigis an Superis fontibus vnda cadat?

ACQVISITA.

Melior est Acquisitio eius negotiatione Argenti. Prov. 3.

ODE.

SOrtis novimus aleam,
Fatorumque vices, credito posteri.
Non semper nitet aureum,
Delectatque iubar: mille latent doli,
Ærumnæque sub hospita
Flaventis specie pignoris Indiæ.
O qui transtra celeusmate
Centum sollicito vertitis ad sinus,
Eoos trabe Cypria
Ditanda spolijs, quæ Thetis occupat
Extrema, o celeres leuem
Pinum sistite; vos, o pretiosior
Nautas præda manet; plagis
Dives Nazareis Margaris emicat,
Quæ vastos propria præit
Thesauros Arabum merce beatior.

VIÆ.

Videmus nunc per speculum in ænigmate. 1. Cor. 13.

EPIGR.

DVm nos philtra tenent Sirenum,& noxia tardant
Corpora, quæ terri carceris instar habent;
Deficiunt animi Soles; offusaque circum,
Plurima corporeæ nox luis atra nocet.
Sustinuisse velit, Virgo, pupilla nitores,
Virgineus casto quos vibrat igne decor.
Hæc utinam, Genitrix, solvantur vincla! serenum
Hoc speret clausus carcere nemo diem.

PATRIÆ.

Cognoscam, sicut & cognitus sum. 1. Cor. 13.

ODE.

POstquam solutus nexibus impiger
Caduca transvolem
Insanientis regna Deæ; plagis
Serenioribus
Si detur uti Sole super, fruar
Ætate flosculis
Semper virenti: quæque homines levent
Aperta videro.
Tunc quo sit haustus fonte animis vigor,
Rerumque metiar
Lapsus, & ortum; tu modo præuio
O Virgo tramitem
Ad astra pandas lumine: degener,
Ni præmones, eam.

CATECHETICA.

Appone cor ad doctrinam meam, quæ pulchra erit tibi. Prov. 22.

EPIGR.

SPerne puellares, queis vana Poetria, nugas;
Queis vel flexanimo Tullius ore fluit.
Sacra iuvant: animo nunquam nocitura parantur,
Quæcunque æthereus sparserit imbre latex.
Sæpe ea dissimulant ægre ludibria mentis;
Nostra rudimentum Religionis habent:
Hyblæa quamvis aures aspergine mulcent;
Verius hęc, & non dulcius illa monent.

POLEMICA.

Omnis controversiæ eorum finis. Hebr. 6.

PAEAN.

IO triumpho vicimus! exedris
Deferbuerunt iurgia. Nazarin
Io triumphantem refractis
Quisque sequi prope gaudet armis.
Non ulla Matrem dedecorat lues,
Testatur acer miles, & acrior
Vires resumit prælïantem,
Siquis adest, petiturus hostem.
Nullus pudendo Marte procacior
Pacem duellis misceat; impię
Cedere lites: Virgo, lauru,
Vera micant, potiere victrix.

ANALYTICA.

In Interpretationibus miratæ sunt terræ. Eccl. 47.

ODE.

VIrgo, Syderei Filia Numinis,
Astrorumque decus, Gloria Principum,
Quos formosa tuetur
Summi regia Cæsaris:
Vah quæ fatidici luminis emicat
Virtus! ingenium quantus amabili

Ardor

Ardor concutit œstro !
Si quando retegis, Patrum
Quæ cortyna diù oracula texerit.
Falsò Priamides admonet Ilium :
Sic responsa profanat
Periuræ scelus indolis.
Quas olim Euboico Phæbas ab atrio
Sortes expedijt, vana Poeseos
Sunt deliria ; ludat
Quæ sors ebria Mænadum.
Verax, Calliope, Nazaris : arduum
Nec formidat iter pergere, Aruspicis
Ritu, cui meliores
Inspirans animum Dij.
Qualescunque velis consilio sagax
Tricas dissolvet: Virgo beatior
Fato hoc [sydera spondent]
Nunquam videris æmulam.

SCIENTIA.

Omnia Nuda, & aperta sunt oculis meis. Hebre. 4.

EPIGR.

AVreus ut Titan ima tellure repostos
Rimatur roseæ lampadis igne sinus;
Non secus inspexi quidquid solertia Patrum
Novit, ut Argolicas iactitet ad cathedras.
Cuncta videt, scit cuncta Parens Nasareia, quæ plus
Noctis habent; nostris crede micant oculis.

PHILOSOPHIA.

Suspiciet sursum, & ad Terram intuebitur. Isa. 8.

ODE.

MÆrentes animæ flebilibus sistito vocibus
Vrgete æthereis nota plagis gaudia, temperet
Tempestas lacrymarum a querulis atra doloribus.
Mordaces aliò diffugiant sollicitudines.
Quamvis astra Parens spectet; io Matris amor tamen
Votis impertitur; nostra iubet nostra coerceant
Ardentes stimulos fræna: oculos pascier ambiat
Virgo delicijs, quas Superum Regia amasijs
Dilargitur ovans: non tamen oblivia resperint
Gnatorum penitus corde Parentis; vigil ad novas
Artes currat amor. Quis quis amore ingeniosior?
Astris dum fruitur, tunc animus nostra tuebitur.

THEORETICA.

Subter omnes Cælos considerat, & lumen illius super terminos terræ. Iob. 37.

ELOGIVM.

RVdes Animæ ne lugete;
Invenere suspiria vestra,
Quod medeatur, solamen.
Nazareiæ Præceptricis ad cathedras
Accedite, & vos.
Gymnasium eius,
Ne ullus sese doleret exclusum,
Exarata stylo Amoris Epigraphe
Publica presignari voluit Academia.
Recipit in exedris suis politiores ingenio,
Nec ab eis vulgares arcet tyrones.
Discipulorum acceptatrix Virgo non est:
Quæ licet hactenus ad sublimia erudierit;
Et quæ supra non sunt;
Vt prosit omnibus,
Quandoq; magisterium suum & ad humilia deflectere
Non erubescit.
Tenet optimè,
Quod arcana Cæli mysteria
Adorari magis amant,
Quam comprehendi;
Quæ nobiliores animos arduitate cum terreant,
E plebe vestigatores non habent.
Ne in commodum doctiorum omnis cederet labor;
Placuit & ignavis consulere.
Argumentorum sublimitatem Præceptrix æqua corripuit.
Nunc subter omnes Cælos considerat,
Et theorematum suorum lumine
Cæcutientibus remedium affert ignenijs.
Vtinam & cæcitati meæ teda ista præluceat.
Aliquando pariturum arbitror Solem,
Qui nulla oppugnetur eclypsi.

METAPHYSICA.

Audite, quoniam de rebus magnis locutura sum. Prov. 8.

ODE.

ABsisto vulgus. Non humili canam
Buxo strepentum margine Phocidos,
Quæ vana quondam Græcia carminum
Insanienti prodidit ambitu.
Non hic decoro pulvere sordidum
Heroa Phthium; non Agamemnonis
Multo repertam sanguine lauream
Tollam sereno carminis alite.

Maiora

Maiora me mo munera postulant,
Terrena sordent. flumine copiæ
Beatioris quæ Superum cohors
Venusta proles obtinuit, loquor,
Donante puram Numine imaginem.
O me beatam! sydera transvehor,
Nec occidentis sarcina ponderis
Pedem moratur. Sperno Panętij
Inęstuantis iurgia: gloriam
Facundioris sperno Gerusiæ;
Nec me coercent Democriti sales;
Quam amica nunquam sydera respuant.

R E A L I S.

Ipse dedit mihi horum, quę sunt, scientiam veram. Sap. 7.

O D E.

QVisquis beatos Civis astrorum dies
Nunquam occidenti Sole protrahit; lyris,
Cytharisque, tympanisque carmen temperet,
Et, me iubente, Cæsarem canat meum.
Hoc hoc volente, novimus quidquid Polus,
Vastoque tellus quidquid involvit sinu;
Eia agite tota perstrepat cantu domus;
Sonet omne plectrum; planta subsultet; iocis,
Thyasisque Cælum arrideat serenius.
Quis hoc favore vota; quis plausus neget?

SVBSTANTIALIS.

Substantia mea tanquam nihilum ante te. Psal. 37.

EPIGR.

SI, mi sponse, tuum si corde recenseo Numen,
Tantulus, effluxit, qui nitet ore lepor.
O semel astra semel vesana superbia spectes;
Omnia quæ fueras, iam potes esse nihil.

ACCIDENTALIS.

Figura substantia eius. Hebr. 1.

D I S T.

FOns lucis Deus est, quæ Virginis ora serenat
Hanc, Veneris proles lumina tolle, vides.

INTENTIONALIS.

Aufert se a cogitationibus, quæ sunt sine intellectu. Sap. 1.

EPIGR.

VEsana mentem flamma quo rapit? damno
Quæ mox amaram; quæque deserui posco;
Mirer verendam Virgo si procul frontem
Auehat? inanem fugere qui Plato nolit?

LOGICA.

Intellectum tibi dabo, & instruam te. Psal. 31.

EPIGR.

VIrgo Parens, querulis qui fletibus ora rigabat,
Pendentem puerum viderat e cathedris:
Sorbe, ait, irriguos, queis rorant lumina, fletus;
Nosco quidem, unde pluat salsus in ora liquor.
Ploras Cimmeria mersam caligine mentem,
Lumine quam nondum depulit orta dies.
Ne geme: præceptrix solabor amica dolores:
Ista magis nobis, quam tibi, damna dolent.

DOCENS.

Super omnes docentes me intellexi. Psal. 118.

EPIGR.

DVm teneros Patrum format solertia mores,
Et, quà dulce sequi, prævia sternit iter;
Nulla mihi rerum facies inopina: Puellam
Arbiter astrorum me prior erudijt.
Ille ille æthereo docilem si lumine mentem
Instituat; terris quis potiora monet?

V T E N S.

Habebitis in varios vsus. Levit 7.

EPIGR.

NAzaræ præcepta, puer, ne sperne Parentis;
Illa togatorum ne fuge turba senum.
Prodet, quidquid habent hortamina ponderis, usus.
Quę male spreta diu, tum bene nota iuvent

HORISTICA.

Nosse te, consummata iustitia est. Sap. 15.

EPIGR.

NOscere, quæ cernunt mirantia lumina, prodest;
Sive fovet tellus, sive ea Olympus habet.
Non tamen ista meras defert Sapientia laurus;
Qui, Virgo, quæ sis noverit, ille sapit.

MERISTICA.

Alijs relinques dolores, & labores tuos in divisione sortis. Eccl. 14.

PROPEMPTICON.

IBis io Superum bibitura in Amystide nectar,
Quod minuit curas, tempestatesque dolorum
Dimovet: ibis io, & pronis dominaberis astris.
Cinge serenatam regali stemmate frontem;
Nimirum astrorum submisso poplite adorant
Te Regnatricem Solymæ Cœlestis Amores.
I celer, & risu veteres ulciscere fletus:
Tabescant reliquæ lacrymis matres: satis haustum est
Vndarum castis, Nasareia Mater, ocellis.
Blandimenta, voluptates, Divumque lepores,
Æternique manent tete solamina veris.
I, fruere amplexu properantis ad oscula Sponsi.
Interea Æolijs ventorum Rector ab antris
Molles immittat zephyros, quorum aura serenet
Nubila, siqua niger Cœlo densaverit Eurus.
Astra suos referent aurato cardine postes,
Sydereique manus gregis obvia prodeat; ac te
Deiectis pennis venientem prona salutet.
Pars tibi sternat iter violis; pars nectaris imbrem
Effundat largè; pars, nobile blandimentum,
Vrat odoratam festiva in lumina cedrum.
Hi choreas ducant; illis sint nablia curæ;
Sint alijs cantus; te cætera turba verendum
Evehat ad solium, medioque adamante coruscum;
Quo regnes, nullum non regnatura per ævum.

SYLLOGISTICA.

Scit dissolutiones argumentorum. Sap. 8.

EPIGR.

NObilior palmam si spondet adorea; tricis
Argumenta rotet fertiliora Plato.
Quid prosint? Virgo solertior expedit: ac quæ
Prædatura decus tela, retorta nocent.

APODICTICA.

Inspice, & fac secundum exemplar, quod tibi in monte monstratum est. Exod. 25.

QVæ nuper Libani per florea iugera, puber,
Ibocuit, o utinam non levis aura ferat!
Fortunate satis, ni despicis illa. Virentem
Mors rapiat? poteris Cœlo obijsse senex.

SOPHISTICA.

Scit versutias sermonum. Sap. 8.

ELEG.

SIqua triumphalem spes proijcit obvia palmam;
Quas ruis in fraudes, qui styga tortor obis!
Mentiris rigidum caperata fronte Catonem:
Si tibi cum samio lis peragenda sene.
Nil nisi grande sonas; & de virtute locutus,
Miraris captum credulitate patrem.
Niliacum simulas flaventi crine puellum;
Tam subitó puber, qui modo canus eras;
Siquando Hyblæi per prata comantia ruris
Incustoditum videris Hyppolitum.
Blandimenta, voluptates, & gaudia spondes;
Totus & obscœno melleus ore fluis.
Siste, ais, amplexu ne te, puer, eripe nostro;
Ne fuge; quæ paveas, non gerit arma comes.
Ah Pollux! Pollux! da Castora iungere dextram:
Cede puer: casto fœdere nectit amor;
Corde pares; & amore pares hinc ibimus; ambo
Iungemus parili stemmatis orbe comas.
At quam sera dies; florum non serius ævum est;
Ergo, mi Pollux, corripe lente moras.
Eia agé, carpe rosas; brevis est natura rosarum:
Ni properes florem delituisse stupes.
Mellitis Pueri verbis ne credite: mellis
Quæ plus ebiberint, plus ea mortis habent.
Quis Phlegetonteum mutantem Protea vultus
Quis teneat? medio milite miles erit.
Virgineos turpis venetur adulter honores?
Fit Virgo; & gaudet Virginis ore loqui.
At satis indultum phaltris; sat fraudibus; ito,
Ito, Acherontei te rue ad antra sinus.
Non omnes fallis: rue te: scit Nazaris astus;
Illecebris larvam detrahet illa tuis.

TOPICA.

TOPICA.

Incerta, & Occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi. Psal. 50.

EPIGR.

QVæ te Dearum consecrem Parens fama?
Qualesve sacris plausibus feram grates?
Gnato recludis inopi amica Præceptrix
Arcana mentis urna quas opes condit.
Tacebo; ferro meliús haud valeam plausus.

ANALYTICA.

Iudicat in veritate. Prover. 29.

ODE.

ABscede centum fraudibus insolens,
Panurgiarum filia, Vanitas.
Mendosa proles i, mephitim
Tenareæ pete prepes arcis,
Vitare novit tela, procacior
Quæ lingua torquet, Virgo Parens; dolos
Resolvit, enecatque, vindex
Arbitrij metuenda, verique
Amica custos. Proditur indoles
Syncera, nodum si semel expedit
Ambage tricatum, cathedris
Quo obsequium tumor arrogarit.

PNEVMATICA.

Datur manifestatio Spiritus ad utilitatem 1. Cor. 12.

EPIGR.

O Qui delicijs venustiorem
Tricatam nuscere, iocisque, ludisque
Ætatem teritis, quid ista prosint?
Inquit Nazaris arguens rebelles
Sensus illecebras, quibus profanat
Mentem, quæ superis locanda regnis;
Terræ cogitur imniori lacunis.

DIVINA.

Spiritus Omnipotentis Dei magnam fecit suæ ostensionis evidentiam. Mach. 23.

EPIGR.

HÆresi, ceca parens fraudum, si qualia noris
Lilia sub nivea Virgine candor alit;
Certé Opifex, isthec quo fulget imago, vel ipse
Credo, inquis; Phœbo partor ille fuit.

ANGELOGRAPHIA

Angelis suis mandavit de te. Psal. 90.

EPIGR.

NAzari siste pedem; Libani florentis ad umbram
Carpe leves somnos; Nazari, carpe rosas.
Anno times rutilum tacito necet angue rosetum?
Aut violet cordis lilia turpis Amor?
Advigilant Superi Proceres; custodia tutá est:
Ne trepida; somnum, qui tueantur, habes.
Ergó moras innecte: sibi nocitura, quis hostis
Sydereos contrá quis ferat arma Duces?

DÆMONOLOGIA.

Etiam dæmonia subyciuntur nobis. Luce 10.

EPIGR.

TArtareũ pedibus premeret cum Virgo tyrannũ
Frangeret & tumidi fortiter ora proci;
Nondum, ait, imperij scieras mihi munus Olympo
Sorte datum, sub quo tartara tota tremant?
Dixit: & infracta est diri vesania monstri:
I nunc, & stygijs utere predo dolis.

PSYCOLOGIA.

Magnificat anima mea Dominum. Luce. 1.

EPIGR.

SÆpe hilaris cantu gaudet preconia Sponsi
Lingua recordari; sit licet illa rudis.
Sedula res amor est. Audis mea carmina quisquis,
Dicta ea amatrici verba ministrat amor.

PHYSICA.

Dedit mihi, ut sciam dispositionẽ orbis terrarum, & virtutes elementorum. Sap. 7.

ELEGIACA VIRGINIS EXPLANATIO.

SIste theatrales rimatrix turba cathedras
Rumpere, quid gerras enthea turba strepis?
Sive Stagyreis vigiles operosa Palestris,
Seu Democritico cum grege verba crepes,
Sive obstipa teras Samij monumenta Magistri,
Noris, quæ Arcesilas: pretereaque nihil.
Oedipus arcanam reserabo Sphynga profari

Magnus

Isthæc æqua mihi Numinis urna dedit.
Novi ego quæ tulerit rerum Natura Creatrix,
Magnus ut in parvo luserit orbe Deus;
Finxerit utque hominis fragili præcordia limo,
Vt parvo foret hic Orbis in Orbe minor.
Duceret archetypæ dum cuncta é Mentis acervo
Nosse mihi Diç contigit Artis opus.
Senserat imperium, gemini cum prodiit Orbis
Congeries, geminis incubuitque Polis.
Iussa refulserunt diuturnis omnia flammis,
Et subiere suas noxque, diesque vices.
Aspice discretam quo iunxerit ordine Molem,
Vtque sui in laudes quæque Parentis eant!
Lance velut librata ęquo discrimine Tellus
Aeris in medio pensile pondus hebet;
Nereus huic longo porrectas margine circum
Nunquam solvendo fędere iungit aquas;
Circinat ambitum Iuno spirabilis orbem,
Sydereęque domus igne coruscat Apex.
Neu male torperent sociata Elementa veterno,
Artificem cunctis indidit Author opem.
Paruit auditis vaga legibus Amphitrite,
Prona nec in vetitum fontibus ivit aquis.
Tunc primum alternos, Zepyris crispantibus undas,
Squammigeri in numeros subsiliere greges.
Dives opum vernanti humeros protexit amictu
Terra, per & campos sponte creata seges.
Vos quoque depictas tunc exsinuastis in auram
Florea progenies ambitiosa comas.
Proximus interea terrarumque ęmulus Aer
Coelitię, atque artes visus inire pares.
Pensilis ut placida tum aspergine Matris alumnus
Alluit oppositos defluus imber agros!
Flexa pruinoso luserunt gramina vultu,
Gramina non volucres veris euntis opes.
Discolor ętherea moderatrix Doridos Iris
Solis adoptivo lumine pinxit aquas.
Signiferum iam namque fatus percurrere Cęsar
Astrorum croceo cęperat Axe Polum.
Atque vehi modo iussus equis apogęus ad augem,
Oppositumque sequi nunc perigęus iter.
Vidimus in menses reparantem cornua Phœben
Cui famulas subdit cętera turba faces.
Inde Palestinis patuit nova scena theatris,
Quæ totum humano in plasmate sistit opus;
Sydereus quo rite Myron se in plasmate finxit,
Diaque sub luteis condita Imago fibris.
Felices animæ; lacrymis nisi flenda Nepotum
Ingluvies tantas dilapidasset opes.
Vsque adeo nocuis semper medicata voluptas
Philtris, Elysijs si nocet orta plagis.

PHYSIOLOGIA.

Penetrabo omnes inferiores partes terrę. Eccli. 24.

DIST.

IBo comes, Mundi si quis lustrare theatrum
Optet, Dulichium vincet & ille senem.

DIACRITICA.

Omnia hæc consideravi, & dedi cor meum in cunctis operibus, quæ fiunt sub sole. Eccl. 8.

DIST.

QVidquid alit tellus speculata, rosaria quo plus
Cerno venusta; magis spernere disco rosas.

PEOLOGIA.

Nigra sum, sed formosa. Cant. 1.

EPIGR.

ORta Palestinis, Titan, quibus ęstuat, oris,
Quas cernis, refero Solis ab igne notas.
Fusca licet, formosa tamen placet oris imago,
Et meus in pulla veste triumphat Amor.
Me sibi me Sponsam pręsignat Amasius astris,
Cui nitet é reliquis pulchrior iste color.
Ite venustatum Veneres, niveique lepores:
Nobiliora meus pręmia nigror habet.

VRANOLOGIA.

Gloria stellarum. Eccl. 43.

EPIGR.

COeli theatra flammeis micant stellis;
Oculosque rutila mille fœneranę scena:
At o! sereniore fulgurat vultu
Formosa veri luminum Parens Solis;
Aurora radios hæc neget Polo? cęca
Tumultuabit, nuper Argus, in nocte.

STÆCHEOLOGIA.

Sub elementis mundi eramus. Galat. 4.

EPIGR.

ERgo sub humani latuisti plasmatis umbra,
Nazari, sydereis hospes avita plagis?

E Credi-

NERTEROLOGIA.

Profundum Abyssi penetravi. Eccl. 24.

EPIGR.

Telluris scrutata sinus, quibus aurea surgunt
Pignora, quæ Crœsi pignora census amet;
Vt vidi flavum qua sit de matre metallum;
Mens tacito secum murmure visa loqui:
Spes hominum vana sub imagine decipit aurum;
Quod Solem esse putant scrinia, putre solum est.

ORICTOLOGIA.

Germinaverunt speciosa deserti. Ioel. 3.

DIST.

NAzari, quid gnati? quid non speremus amantes?
Si blando ditas lumine triste solum.

LITHOLOGIA.

Melior est fructus meus auro, & lapide pretioso. Prov. 8.

EPIGR.

TVnicat serenos inter emicans soles
Amethystinatus Atticus; superbumque
Adamante censum firmet, & Scythiam luxu
Evisceratam smaragdino patrum mensis
Iubeat sedere: perstrepat scyphos inter,
Satiroisque credat, clamitetque felices;
Quorum aut Iaspis, aut mari similes gemmæ
Viridi curulem luce fulciunt sellam,
Quæ vermularum iussa proferunt plebi,
O vana sortis munera! o parum dites,
Peregrina terræ vena quas tulit, gazas!
Quacumque Iesus dictior nitet gemma.

METALLOGRAPHIA.

In potestatem redegit metalla auri, & Argenti. Mach. 8.

EPIGR.

LVcullo vade, vade Crœse, quid prosint
Evisceratì Atlantici sinus gazæ?
Pretiosa fetis montibus legant vobis
Metalla Parthi; fumidique Bracmanes.
Opulentiori Nazaris fruitur censu,
Beatiores numerat & dies. Musa
Dic, unde Virgo ditior: Fugit gazas.

MESOLOGIA.

Tradet humum lacte, & melle manantem. Num. 14.

EPIGR.

MVtat terra vices; & misto lactea flores
Irrepsisse suos flumina melle videt.
Dixeris; o minimè nostris sors invida sceptris!
Crediderim æterni tempora veris eant.
Vnde potest tellus istos diducere fontes?
Sic mellita iubet Nazaris: ergo potest.

EMPSYCHOLOGIA.

Coram omnibus viventibus confitemini ei. Tob. 12.

SYLVA.

ITe leves lusus, vectique curulibus auris
Ferte serenati, quò vetor ire, pedem.
Ite ad nivosi flumina Bosphori,
Et obstrepentis saxa Borysthenis:
Visite Parthos, visite Sarmatas,
Et matutinæ quos Thetis unda rigat.
Errate valles inter, inter & sylvas:
Superambulate collium
Aprica iugera;
Superambulate montium
Salebrosa culmina, &
Læto carmine dicite Nazarin.
Audiat Scytha,
Parthus audiat;
Parthusque, & Scytha,
Munere decorent Nazarin aureo.
Audiat nemus,
Audiant feræ;
Et feræ, & nemus
Grato gemiscent murmure Nazarin.

PHYTOLOGIA.

Plantavi te vineam electam. Hier. 2.

EPIGR.

LVde, inquit sponsus, mea vita tenerrima, lude;
Vinea grata mihi, tu mea sponsa, viges.
Crescat io, crescat vegetabile germen in auras;
Sternat odoratos herbula casta toros.
Ah! tuus instillet si, quæ volo, flumina botrus;
Nulla mihi posthac dulcior unda fluat.

BOTANOLOGIA.

Aperta sunt prata, & apparuerunt herbæ virentes. Prov. 27.

EPIGR.

QValiter erumpunt vernantia gramina campis;
Ver quoties agris imperitasse vides:
Non secus est hilarem tellus induta virorem;
Quo valuit primùm Virginis ore frui:
Miraturque novas meliori germine pompas;
Quas non occidui gloria veris habet.
Terra valo, aiebam; tu ludicra imago leporis;
At postquam flores Virgine terra places.

PHRYGANOLOGIA.

Quasi plantatio Rosæ in Ierico. Eccl. 24.

EPIGR.

ESt Rosa, quis nescit? Pestani filia ruris;
Regnatrix florum splendida; veris honor.
Tu magé pulchra rosa es, genitrix formosa Tonantis,
Dignaque sydereæ Chloridis esse decus.
Culparum matris rubet illa cruore Diones;
Tu puto Virgineo tincta rubore micas.

THAMNOLOGIA.

Requiescent omnes in omnibus frutetis. Isa. 7.

EPIGR.

SOlstitio dum rura calent, arentibus æstu
Rivis; dum nimio sydere fervet ager,
Quis iacuisse neget, qua nobilis aura frutetum
Dimovet, ut cordis temperet aura rogos?
Nullum dulce parum, nullum necat angue frutetum,
Quod Virgo custos ore favente fovet.

DENDROLOGIA.

Facta est arbor magna. Lucæ 13.

EMBLEMA
Cedrus.

NAzareis crevit Cedrus, quam cernis, in agris,
Nobilis é cuius stipite lecta seges.
Illiciunt hilares spectantia lumina frondes,
Nec vilem faciunt aurea poma gulam.
His mihi si detur pomis pro munere vesci,
Aspera sunt, cunctis quæ melimela placent.

ZOOLOGIA.

Imples omne animal benedictione. Psal. 144.

EPIGR.

QVidquid brumalis glacialia sydera lunæ
Cogitur, & Syrios in cute ferre rogos,
Auspice te, Virgo tutum est, Agé concipe spem cor;
An gnatis noceat, quæ levat usque feras?

SOMATOLOGIA.

Veni ad Corpus incoinquinatum. Sap. 8.

ODE.

NAzaris, æterni Genitrix, & Sponsa Solis, astra
Beatiori prona quam fatentur
Lumine purpureis Phœbi superemicare flammis;
Dum pupa vitæ proderet serenis
Auris, si memini, Superum grex, mollicella pupa
Erumpe dixit; fortiere pectus;
Sordida quod morbi nunquam potis impedire pestis.
Serpigo avorum criminis recumbit
Enervata tuo turpis pede, blandicella Amazon.
Erumpe, cygno purior nitebis.
Nulla relnctanti vis fomite repserit medullis,
Spurcosque cordi ventilabit ignes.
Dedecuit sublimem animam, puramque vase claudi,
Quod nigror & labeculæ notaret.

ANATOMIA.

Dabo legem meam in visceribus eorum. Hier. 31.

ODE.

GNatorum Aruspex sedula cordibus
Servabo horas; quæque coerceant
Damnanda, leges proferam; sic
Ad Superas volet aura sedes,
Optata postquam funera solverint
Cadaveroso é carcere: Prosperis
Tuentur astris, corda quorum
Virgo Parens speculata flammis
Vrit beatis; purgat & ignibus
Quidquid piandum fletibus: utere
Parente proles: ah! favillis
Pande sinus; luis igno noxas.

GREA-

CREALOGIA.

Ad te omnis caro veniet, Psal. 64.

DIST.

QVæ premit æeriam Divinæ particulam auræ
Sarcina, te fiet. Præside, Virgo, levis.

OSTEOLOGIA.

Ossa tua liberabit. Isa. 58.

EPIGR.

CAsta, sepulchrales ubi futilis ibit in umbras,
Quæ nunc ridenti floret in ore Venus:
Quóque sua expleriнt putres ieiunia vermes,
Ossaque sarcophago rudera nuda iacent.
Non ea, si Præses sit Nazaris, Auster, & Eurus
Dissipet, aut brutum calcitret ungue pecus.
Scilicet in mortem quó mota coegerit vrna;
Vivet post gnati funera Matris amor.

DERMATOLOGIA.

Arca fœderis Domini sub pellibus est. 1. Paral. 17.

ALLEG.

FLuctuat in ceno tellus; hoc sordida ceno
Ne fieret, credo malvit Arca tegi.

STELOPOETICA.

Pertingens usque ad divisionem animæ, ac spiritus, compagum quoque, ac medullarum. Hebr. 4.

EPIGR.

SPonse nimis, mi Sponse, tuis nimis ignibus uror:
Ah! si me mavis vivere, tolle rogum.
Corripuit iam flamma fibras, cordisque medullas:
Ni cohibes; cor erit pulvis, & urna sinus.

GONOLOGIA.

Ecce Virgo concipiet, & pariet Filium. Isa. 7.

ELEG.

I Procul Assaraci turpis nurus; ito sagittis
Sæve Puer; tedis ito Hymenæe tuis.
Fœnarum artifices, violatoresque Pudoris
Vos tulit obsceno de patre teda parens.
Ite, maritalem digitis marcentibus ignem
Excitite; & festos ducite turba choros;
Quá Fescenninis, thalamo flagrante, Cotytto
Exierit Baptas luxuriosa iocis.
Tu propera æthereis, vivax Amor, edite regnis,
Letali cuius spicula felle carent,
Cerne tumescentem Nasareiæ Virginis alvum,
Quidquid habes istic, quod tueare, tuum est.
Illa illa æterni Genitrix, & Sponsa Tonantis
Prodigiorum opifex mox paritura Deum.
Virgineo tenerum concrevit sanguine corpus;
Et caro fit, Verbum qui modó Patris erat.
Ardua quantumvis, certa hæc miracula Amoris;
Quis portenta neget prodere possit Amor?
Phythagoræorum preme livor labra lupatis;
Fecundamque sinu celibe disce Deam.

THEROLOGIA.

Auferam malas bestias. Lev. 26.

EPIGR.

QVæ sylvas violant, sata leta, & ruris Amores,
Humanumque gregem noxia bruta necant;
Funeris umbra voret; stratoque cadavere, tellus
Obscænos cineres dignior urna tegat.
Sum Genitrix; tristant gnatorum funera matres;
Ergó uno hoc tollam funere, mille neces.

ORNITHOLOGIA.

Habitabunt sub ea omnes volucres, & universum volatile sub vmbra frondium eius nidificabit. Ezech. 17.

EPIGRAM.
Superiori Emblemati arridens in quo apponitur Cedrus.

GRex volucrum simplex Cedri florentis in umbra
Castis mista iocis otia lenta trahit;
Accipitrem, & quorum tantúm est in amoribus unguis,
Odit, & invisos respuit umbra greges.
Chaonias volucres hic videris ire per auras,
Hic gemebunda suos turtur opinat aves.
Noverit hic nutrix Mæandria Doris Olores,
Quos modó per Phrygias viderat ire plagas.
Daulias ales abest, & cætera turba procorum.
Cypris ubique iuvat pertimuisse rogos.

ICHTYOLOGIA.

Pisces maris congregabuntur, Oseæ 4.

EPIGR.

SIste coruscantes roseo temone iugales,
Phœbe, quidem tellus, quod tuearis, habet.
Aspice squammigeros, quotquot Thetis ambit, alumnos
Nazareæ in laudes Virginis ire iubet.
Magnam prona cohors Matrem miratur; adorat;
Mutaque quæ fuerat, lingua loqui didicit.

TETRAPODOLOGIA.

Bestiæ terræ pacificæ erunt tibi. Iob. 5.

EPIGR.

QVadrupedante premit quidquid fata læta tumultu,
Pronum, Virgo, tuos procidet ante pedes.
Cedet & Actæ populator taurus arenæ;
Atque iterum Nemeos si leo terret agros.
Nazareæ o qualis Genitricis gloria! blandum
Obtutu ingenium dum dabit illa feris.

OPHIOLOGIA.

Glorificabit te bestia agri, dracones, & struthiones Isa. 43.

EPIGR.

QVod coluber supplex, & struthio pronus adoret
Te, Virgo; sylvis qui modo terror erant;
Non faciunt iussi, nulloque docente magistro:
Crede mihi, Numen sentit uterque tuum.

AMPHIBIOLOGIA.

Mortuæ sunt ranæ de domibus, & de villis, & de agris. Exod. 8.

EPIGR.

CArpite felices, mea lumina, carpite somnos
Endimioneam par subiisse vicem.
Scilicet omnis abest, qui sibilus otia rumpat;
Quoque meis oculis excutiare sopor.
Arva silent: veterem ranæ posuere querelam,
Quas celeri raptas funere terra stupet.
Nosco quidem datur unde animis has ducere noctes:
O dulcis blandum Virginis ingenium!

ENTOMOLOGIA.

Dedi vobis potestatem calcandi supra serpentes, & Scorpiones. Lucæ 10.

EPIGR.

NE mortis raperent inopina pericula gnatos,
Aiebam, quæ noxia bruta nocent.
Attamen heu! plures mi reddunt vulnera; mores
Non terræ a istis hos didicere feris.

ANTROPOLOGIA.

Homines sensati obviabunt illi, homines stulti non videbunt eam. Eccl. 15.

ELOGIVM.

COmmune pretiosis rebus hoc fatum est:
Vt ex spectatores habeant,
Qui inscitiæ tenebris caligantes
Splendores earum non videant.
Solers negotiator bonas Margaritas inquirens,
Si pretiosam invenerit;
Eam unam ut sibi comparet,
Omnia vendit, quæ habet.
Vnam hodie nacti sumus Margaritam & nos;
(Pulchræ dilectionis Sunamitidem Libani)
In qua gemmarum omnium est pretium.
Ea æternitatis ad nundinas appendenda in staters,
Nullam arbitror trutinam habitura,
Quæ summi pondus examinet.
Cordatos habe,
Qui scierint vota sua hic alligare:
Qui vero cecutientes neglexerint,
Non iniuria fatearis excordes.

PSYCHOLOGIA.

Quæsivi quem diligit anima mea. Cant. 3.

GALLIAMBICVM CARMEN.

SVper alta Collium Hebron celeri pede spatia,
Per aprica prepes ibam viridaria Libani
Gemebunda: lacrymatim querulo ciet oculus
Ciet astra fonte: amatrix, cita quem cupit anima,
Peto luctuosa Sponsum. Rue pes; rue pede cor
Ocyus; fuge me; per & senta situ loca rue te;
Repetebam: Amoris ardor tralut; ah! sequere, nimis
Amor urget, & fibrarum furit igne latibulis.
Rumpe moras: sequere Sponsum, vocat ille, sequere cor.

PHYSIO-

PHYSIOGNOMIA.

Signa faciam, quæ nunquam visa sunt super terram, nec in ullis gentibus. Exod. 34.

DIST.

ORa notant animos: quæ gratia, conspico, vultus
Obtigerit, totam Nazarin inde tenes.

COELESTIS.

A signis Cœli nolite metuere. Ierem. 10.

EPIGR.

SIquando æthereas nova videris ire per auras
Monstra, rogis longas tristé refusa comas;
Certa licèt rigidis intentent funera flammis,
Nec distare Auspex fata suprema putet;
Ne metue; infestus non irruet ignibus æther;
Si madidas terræ viderit imbre genas.

SVBCOELESTIS.

Vidimus terram valde opulentam, & uberem. Iudic. 18.

EPIGR.

QVæ quæ vernat agris ridentis imago leporis?
Spargit ubique suas Chloris opima rosas.
Liber, & alma Ceres ludunt: hæc ridet aristis
Vberior; multo palmite Bacchus ovat.
Fertilis, & flores, dulcesque educere fructus
Fœcunda credo ex Virgine discit humus.

ELEMENTARIS.

Elementa calore solventur. 2. Petri 3.

VIrgineo castos, quæ corde reciprocat ignes,
Proiicit arsuros undique flamma rogos.
Tantaque vis flammæ est, ut inæstuet Amphitrite;
Et tellus ustis floribus urna fiet.
Conceptis aer volucres necat ignibus; alget
Credo, ni tanto hoc ignis ab igne flagret:
I, pete Syderei, Virgo, viridaria Sponsi;
I, vernant flores, iam tibi cessit hyems.

METEOROLOGICA.

Erit signum fœderis inter me, & inter terram. Genes. 9.

EMBLEMA
Iris.

SErena quoties Iris aerias plagas
Victrix obibit, arcum
Fingente centum Delio coloribus;
Venustiorem sperent,
Nec illigatum nube mortales diem.
Cœli gementis Iris
Est risus; index pacis; expultrix, agros
Quæ devorant, procellarum;
Et turbulentę Doris umbrarum potens
Arcere luce noctes.
Ride; & dolorum tristibus caput notis,
Adamidum propago,
Solvatur; ora dedecet fletus, ioci
Siquando cor titillent,
Quos Virgo tandem protulit Parens: Iovis
Æterni amatrix pacem
Terris petitam fœdere obfirmet meo.
Draconis hæc minaces
Refringit iras, & furentium dolos
Erynnium coercet.
Ride; beatos qui ferat Solem dies
Hæc spondet Iris Orbi.

MINERALIS.

Non est digna ponderatio auri; & argenti contra bonitatem fidei illius. Eccl. 6.

EMBLEMA
Margaris.

I Luculleas cordis vesania gazas;
I, pete quod Crœsi scrinia fœnus habent.
Congere: flaventem postquam spectaris acervum;
Credo ais; hoc pondus Margaris ista præit.

BOTANICA.

Ex fructu arbor agnoscitur. Matt. 12.

EPIGR.

TOllitur aprico quę nobilis arbor in agro,
Tale decus referat, qualia poma parit.
Curané Nazaream Genitricem noscere? nosce,
Quæ sit Nazareo germine parta seges.

THERIOLOGICA.

Cognovi omnia volatilia Cæli, & pulchritudo agri mecum est. Psal. 49.

DIST.

NOvi quidquid agros, quidquid secat aera, terramque
Impete quo fugiam præpes, utrumque docet.

ANTHROPOLOGICA.

Hæc sunt signa virginitatis filiæ meæ. Deut. 22.

EPIGR.

QVæ florent nitido vernantia lilia vultu,
Quæque per ora Helices vellera sparsa micant,
Admirabundus spectator specie, & inde
Disce quod in casta Virgine cordis ebur!

CHIROMANTIA.

Erit quasi signum in manu tua. Exod. 13.

EPIGR.

PAnde manum, mea Sponsa, tuum scrutabor Amorem,
Nam puto, quæ palmis linea ducta, notet.
Pande manum, ingeminat sponsus: quo ludicra flexu
Noscuntur; verus nonne patebit Amor?

METOPOSCOPIA.

Ab occursu faciei cognoscitur sensatus, amictus corporis, & risus dentium, & ingressus hominis enuntiant de illo. Eccl. 19.

EPIGR.

SIquando occurrat caperata fronte viator;
Cerea cui putrem vestit abolla sinum;
Crine brevis; cohibet quem summa libido tacendi;
Spectator Stoicum diverit ire senem.
Obvia si Virgo, cui ridet in ore Venustas;
Castus amor; virtus aurea; verus honos;
Cui Hyperionias spirantia lumina flammas;
Obvia si steterit; quis neget esse Deam?

COSMOLOGIA.

Subditus fiat omnis mundus. Rom. 3.

EPIGR.

NAzaream prono vereatur lumine Sponsam
Cynthius, & quidquid stellifer Orbis habet.
Terra quoque æthereis obtemperet æmula flammis;
Et quidquid vasto limite terra fovet.
Terra neget parere? hanc ignibus obruat æther:
Astra negent? cæco pulvere terra premat.

MEDICINA.

Sanitas est Orbis terrarum. Sap. 6.

SOTERIA.

AH pater! ah genitrix! malum quid triste vorastis?
Aiebat mortale genus, lacrymosa nepotum
Progenies; duplicesque manus ad sydera tendens,
O utinam nostris, Pater optime, febribus, infit,
Exuras vitium; non Pæonis occupat urnam,
Non Amithaonio junctum Chirona Melampo.
Nonne vides? minimé prosunt mortalibus ægris,
Quos vel vase pluat medicos Epidaurius, imbres.
Plura velit; sed vox astris necat edita questus.
Vota tenes: fletus, grave funeris argumentum,
Excute, quæ morbos optata levamina sternant,
Inquit, habes: fessos miseré qui pascitur artus,
Languorem, ac animi malé spiramenta fatigat,
Vicinamque fibris intentat funeris horam,
Aurea Nazareæ jugulabunt pocula Matris.

PHYSIOLOGIA.

Cognovit figmentum nostrum. Psal. 102.

EPIGR.

QVid capis indocti medicata Machaonis arte
Pharmaca, cui pallens conterit exta lues?
Nazarin i potius, dimitte Machaonas omnes;
Temperiem novit Nazaris, apta dabit.

PATHOLOGIA.

Qui delinquit in conspectu eius, &c. incidet in manus medici. Eccl. 38.

EPIGR.

PHarmaca quid renuis, quæ Nazaris apta propinat?
Illa tuis scit, quæ sint adhibenda malis.

Eoibe

Ebibe: & instantem Podalirion effuge; poclis
Externo iussis Pęono fata bibes.
Ebibe mi puber; medicam qui Nazarin odit,
Heu quam non facilem contrahit ille luem!

SEMEIOTICES.

Audi me fili, &c. & omnis infirmitas non occurret tibi. Eccl. 31.

EPIGR.

G Nate, parentales quem pené coegit in ignes
Vis morbi; ah vereor vitrea bulla cadas!
Consule me, vites, qui torqueat, hemitriteum:
Virgo propinquantes pręcavet arte febres.

HYGIEINA.

Ante languorem adhibe medicinam.

ELOGIVM.

NVtrite fiduciam vestram ęgri filij;
Curationis ad opus medicatrix Mater accedo.
Mortem non timeat,
Qui pręcepta, quæ vitam tuentur,
Obducta aure non respuat.
Mille circa vos excubant morbi;
Qui, ne conspirationem agnoscatis,
Nocituri cum sint,
Voluptatis larva teguntur.
Cavete voluptuosi:
Corpus non aliundé frequentius egritudines,
Quám é delicijs contraxit.
Voluptatum abstinentia præmunimini
Ad morborum vim eludendam;
Qua non effugiunt inermes.
Lento parum occursu
Adventum eorum non serum prævertite:
Qui enim & melle iugulari poterant adhuc teneri,
Postquam invaluerint,
Acrioribus nequidem enervantur remedijs.
Strenuus miles, providus ut sibi consulat,
A varijs artis non est.
Cautiores & vos estote, ut tuti sitis.
Ex periclitantis ignavia
Desumunt morbi opportunitatem omnem nocendi.

THERAPEVTICES.

Qui me invenerit, inveniet vitam, & hauriet salutem. Prov. 8.

EPIGR.

E Moreris miseré qui vulnere cordis anhelo;
Siste Machaoniam sollicitare manum.
Sola ego, quam minimé scrutantia lumina cernunt,
Nec Physici attrectat dextera, perdo luem.
Grassantem fibris pestem procul arceo; spernat
Quique alios morbus, me timet artificem.
Sum genitrix, agé rumpe moras, accede, quid hęc res?
Vis fieri sanus? quære Parentis opem.

DIETETICA.

Cibus eius electus. Abac. 1.

EPIGR.

LAnguentes Animę, revocent qui in corpora vires
Esuriente novos quæritis ore cibos?
Qui Lacedęmoniam luxus satiarit orexim,
Spernite quæ suadet fercula vésca gulæ.
Inficiunt, non instaurant obsonia fibras,
Quæ lautus nimium Sardanapalus amet.
Ite, lupercalis, quos ambit mensa, lepores;
Vos Epicurço de grege lurco petit.
Gnatis Virgo suis apponit fercula: corpus
Vestra gravant; animos hæc alimenta levant.

PHARMACEVTICA.

Faciet pigmenta suavitatis, & unctiones conficiet sanitatis. Eccl. 38.

EPIGR.

VÆ tibi! si libes quæ filia Solis, Vlysses,
Pocula fert avidis insidiosa labris.
Sat mihi, siqua premat pestis, si pharmaca Matris
Nazareæ libem; hoc mors perit in fluvio.

CHIRVRGICA.

Salus nostra in manu tua est. Gen. 47.

APEVTICON.

MIlle morbis corda languent, mille plagis pectus horret.
Quæ salubri verminantes dextra purget arte fibras?
Hęc Melápi ęrumna ferrum vulnerantis ad medelam,
Arcet ignem. Virgo Mater, ure sacris ure flammis

Vlceratum pectus: ah! syncera vitæ pars trahetur.
Cerne; sensim per medullas serpit atrum tabo vulnus.
Plaga crescit; crescit aspri vis doloris, & sepulchris
Triste damnat corpus: Ah! ne pulla rumpat Parca
stamen;
Vro, Mater, ure flammis: carpit isthæc flāma pestem

MATHESIS.

Vidit, & dinumeravit, & mensus est. Eccl. 1.

EPIG. ADHAERENS EMBLEM.
In quo apponitur Statua condens caput inter nubes.

ARbiter astrorum tranantem vertice nubes
Vidit Nazareis stare Colosson agris.
Vidit, & emensusqua stet vertigine; miror
Inquit; sub tanto hoc pondere floret humus.

ARITHMETICA.

Numerat multitudinem stellarum. Psal. 146.

EPIGR.

NAzaris astrorum speculata venustior ignes,
Qualis, ait, tantis concita flamma rogis!
Non bene dinumerem Cœlestis Amasia Sponsi,
Quotquot habet rutilas Chloris ecora, rosas.
Sunt sola in votis, & sola in amoribus astra;
Cæcus, qui tanto lumine pergit Amor?

ALGORITHMVS.

Dividas ex equo. Num. 31.

EPIGR.

PRæmia qui numeras rectis, & stigmata pravis;
Tum cauté, quando Nazaris ipsa monet,
Parvula sepe cadunt pro vili fragmina: nescis;
Quod Themis ad lancem hæc fragmina pondus
habent!

SCIENTIFICA.

Sapientiæ eius non est numerus. Psal. 147.

EPIGR.

NAzareæ dotes numerare Logista Parentis
Qui petis, in digitos, i, prius astra refer.
Posse tamen sperare putas? quam fallere demens!
Certo quis numero supputet innumerum?

ALGEBRA.

Potes ligata dissolvere. Dan. 5.

DIST.

PLura tuis correpta rogis iunguntur in unum
Pectora, at idem ignis, quæ malé iuncta, secat.

THEORETICA.

Effugiet fictum. Sap. 1.

DIST.

SI sit servatrix veri, si nescia fraudis;
Anne neget, quam ultró Virgo spopondit, opem?

PRACTICA.

Quod abiectum erat, reducam. Ezech. 34.

DIST.

PArva licét; modici ne spernas criminis umbram;
Nulla recensentem Nazarin umbra fugit.

ASTRONOMICA. VEL LOGISTICA PHYSICA.

Tolletur de numero. Eccli. 19.

EPIGR.

AStra placent: castis sed parent sydera votis;
Quippe pudica astris Nazaris imperitat.
Quisquis Acidaliam servas in pectore flammam,
Væ tibi! materno de grege Virgo rapit.

GEODOETICA.

Pondus habebis iustum, & verum. Deut. 25.

EPODVS.

AMore quisquis ardet, & gaudet luem,
Phanaticæque Cypridis
Delævientem serpere in fibris rogum)
Procul recedat, ac anæt.
Nos ni medullas detinet stupor, silex
Alpinus aut venis riget,
Parentem amemus Virginem; suavius
Hucusque qua nil senseris.
Adsis; amamus; Virgo, sat rebellibus
Saturnalium amoribus

Indulsit

Indulsit auris: corda lustrantur tuis
[illegible] Venusta Mater ignibus.
O sors! amorum quale pondus exijt,
Remetiere lancibus
Æquis benigna syderum Themis: meum
Cape, Virgo, cor; mercedibus
Amore partis inhiat, & suspendior
Amoris ad libram petit.

POPVLARIS.

Transilunt greges ad manus numerantis. Ier. 23.

DIST.

EXpediet Superi quot de grege Nazaris Agni
Mundus habet; vah! quæ portio, turba vafe.

HISTORICA.

Argentum statera ponderas. Isa. 46.

EPIGR.

LAnce quod argentum Iesseia Virgo recenses,
Pallet, depositi cui leve pondus inest.
Væ cui cygneos ætas argentea crines
Duxit; ni Pyliæ pondera mentis habet

SYMBIOTICA.

Omnis ponderatio non est digna continentis animæ. Eccli. 26.

EMBLEMA
Lanx.

QVuisquis inexplendæ, mentē quę torquet, orexi
Materiem stygio quæris ab usque sinu;
Ancæ thesauri quod hydropem temperet æstum,
Æqua tibi iudex hic Nasareis erit.
Pygmalionæos lance hac age congere census,
Crœsaas vel quas arca flagellat opes:
Inde animus Divum quidquid stet imago repende
Fit ne quid, emptores quod trahit usque Deos?
Desine mercari peregrino e littore gazas;
Si sapis, o dives sarcina quanta tibi es!

MILITARIS.

Mile clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium. Cant. 4.

Dist. respiciens Emble: in quo apponitur Turris David.

QVi spectas turritum apicem, & munimina; molē,
Dic, sat in hanc unā haud Tartara mille forent.

TRIGONOMETRIA.

In universis angulis. 2. Parali. 28.

EPIGR.

QVuacunque Phœbus aureum vibrat iubar;
Tellusque rore syderum pasci velit,
Sonet omne plectrum; terra subsultet; nemus
Amore iungat dispares miro feras.
Nullus latebris angulus, nullus sinus
Risu terendum, & plausibus neget diem.
Furor est dolere, dum victus iacet dolor.
Io triumphat Nazaris; floret iocus.

LINEARIS.

Faciam umbram linearum. Isa. 38.

EPIGR.

CEntum Helenas vidit pictorum Cæsar Apelles;
Vnam ut nobiliùs proderet ars Helenam.
Inquam ego, sydereum si pingere cogar Amorem,
Sola venustatis Nazaris umbra facit.

LOGARYTMICA.

Linea duodecim cubitorum ambiebat columnam. 3 Reg. 7.

SYLVA.

ÆStus erat: virides Libani florentis ad umbras
Carpebam, Zephyris placide spirantibus, auram,
Conceptas fibris quæ temperet aura favillas.
Occupat interea
Lumina fessa sopor.
Ac ubi sensim subijt medullas;
Lenique pectus recreat osculo;
Visum est aerijs pegma theatris
Surrexisse situ Pyramidum altius:
Ac nisi amabilis
Pompæ ludor imagino;
Credo fuit superis ornanda Columna trophęis.
Linea quam circum flaventi ducta metallo
Ambit, & hoc retinet fatali carmen in auro:
HÆC in Tenareas fabricata est machina vires.
Vidimus, ac subito ex oculis ea scena recessit.
Sume animos, mortale genus, iam sydera votis
Indulgent, pulchrosque tibi sine clade triumphos
Presignant: oculis agē tristes excute luctus.

PLANA.

Incedebat per plana. Isa. 4.

DIST.

VNde triumphatrix Virgo petit æthera? lene,
Aspera quæ dicta est, semita fecit iter.

SPHÆRICA.

Circumdabo quasi sphæram in circuitu tuo. Isa. 29.

DIST.

CVr mihi cor non es, quæ centrum es, Nazari, amorum?
Veriùs ut centri sphærica meta sinus!

MVSICA VEL CANONICA.

Exultabunt labia mea, cum cantavero tibi. Ps. 70.

EPIGR.

RAra voluptatũ est genitrix Melopœa, dolorumq;
Expultrix tristes apta levare fibras:
Ipsa tamen cantus ni Nazaris impleat; isthæc
Musica cordi suspiria sola parit.

THEORETICA.

Disponit omnia suaviter. Sap. 8.

EPIGR.

VIrgo parens, cordis formosa Antistes Amorum,
Auspice qua nullum credimus esse nefas;
Temit amaritiem fibris dulcissima Siren;
Quodque hilaret tristes, una levamen habet.
Has, puer, illecebras ne respue: lilia cordis
Non violant castæ Nazaris illecebræ.

SIGNATORIA.

Scribite vobis canticum istud, & docete filios Israel; ut memoriter teneant, & ore decantent. Deut. 31.

IOCVS ANACREONTICVS.

SIquos Parentis Virginis tangit decus,
Adeste: & hoc, quod occinant, puellulos
Docete carmen, Nazaris iubet, Patres.
Qui feriatum Phocidos
Permisit umbris Barbiton,
Torpetque lentus otio,
Quo Musa Nazarin silet;
Arente nunquam provocet
Labro liquores Pegasi,
Quos vena ducit melleos.
Nunquam Sororum postulet
Quæ philtra fibras temperent
Dolore tristes aspero.
Dignus plagis sorbeſcier
Afris, vel horrens Caucasi
Rigere cautes rupibus,
Qui Virgini carmen negat.

MELOPOETICA.

Præerat ad præcinendam Melodiam. 1. Deut. 15.

ODE.

VIdi, quá viridis iuga
Extollit Libanus, pergere Nazarin;
Quæ stipata sororibus,
Reginæ soboles pulchra Modestiæ,
Lætis aera vocibus
Implebat: comites hinc Galaditides
Alternis lepido choris
Respondant: roseis spargite Nazarin
Nimbis, spargite lilijs;
Sponsamque æthereis astra leporibus
Iam iam reddite: Amasiam
Sponsi castus amor torret in ignibus.

VOCALIS.

Fac me audire vocem tuam. Cant. 8.

EPIGR.

ASTrorum Melopœa, quæ theatris
Virgo sydereis beatiorem
Instauras modulis canora scenam,
Et Regis potes auribus probari;
Vocem, solliciti precamur, ede,
Qua nil dulcius est, suaviusque;
Docto Castalidum licét sororum
Cæsar cum grege certet, ac eburnam
Blandus Naniclis chelin lacessat.

INSTRV-

INSTRUMENTALIS.

Ludam coram te omni virtute in canticis, & in citharis, & psalterijs, & tympanis, & cymbalis, & tubis, Parali. 13.

EPIGR.

Ite parentalis merentia signa doloris;
Ite procul lacrymæ; dedecet unda genas:
Lętus, io, moveam cytharas Aspendius, aut quas
Impellit Glaphytus, dum Tybris unda salit.
Lętus, io, moveam Corybantum nablia, Teiam
Par erit & digitis increpuisse fidem.
Ore graves inflabo tubas, lituosque: tot una es
Quæ dulci comples nomine, Virgo, sonos.

MISTA.

Confitemini illi in voce labiorum vestrorum, & in canticis labiorum, & citharis. Eccli. 39.

DITHYRAMBUS.

Cinge, Clio, cinge frontem
Et ligustris, & rosetis.
Sume læta, sume plectrum,
Et virentis arva Pindi
Voce compleas canora.
Plaude Virgo: casta poscit Virgo plausus Nazaris.
Surge præpes, & sororum
Coge turbam, duc choreas.
Per vireta, per fruteta
Ite Nymphæ molliores
Delicato vere crinem
Alligatæ: rore plectrum dulciori spargite.
Mitte Virginum propago
Inquilinas corde curas;
Pone questus, siqua tristis
Excitarit intus aura;
Voce nervos æmulata
Plaude turba: casta poscit Virgo plausus Nazaris.

CHORALIS.

Laudent nomen eius in choro. Psal. 149.

EPIGR.

Syderei Cives, fortunatique Choraules,
Quos Cælestis Amor credo facit melicos;
Nazarin ad cytharas; ad cymbala Nazarin edant,
Qua plus nec puri nectaris unda sapit.
Virgineum Mariæ numeroso gutture nomen
Angelico nemo dignius ore canat.

FIGURALIS.

Facit concordiam. Iob. 25.

DIST.

Pacis Amor Deus est. Qui Nazarin ore, Choraules,
Concordi recinunt, nonne movebit Amor?

SACRA.

Cantent in vijs Domini. Psal. 137.

EPIGR.

Edisceat Veneres cantus, & dulcia Nili
Philtra puer, quæ vel Gadibus orsa placent.
Scilicet illa nimis modulamina moribus obsunt,
Quæ Fescennino de grege Cypris amat.
Carpe iocos; fere serta; puer, cape cymbala: Virtus
Dat lusus, sertum lilia; Virgo sonos.

CIVILIS.

Per vicos eius alleluia cantabitur. Tob. 13.

EPIGR.

Ibimus, o! nostris o! sydera parcite votis,
Nazareum potior qua tegit Hybla solum.
Felices magnæ Matris lustrabimus Vrbem;
Solaque festivi carminis aura strepet.
Abscedent luctus; procul ibit imago doloris:
Cur hoc, ignoras Musa? stat unde salus.

RHYTHMICA.

Non in tibijs viri beneplacitum est ei. Ps. 146.

EPIGR.

Siste delicijs fides canoris
Mistas fundere barbiti querelas,
Quæ sic Nazareæ Parentis aurem
Titillare student, ut obstrepenti
Cantu leniter influant sopores.
Tace: vota tenes; tacente, dormit.

PANTO-

PANTOMETRIA. VEL GEOMETRIA.

Longior terra mensura eius, & latior mari. Iob. 11.

EMBLEMA
Turris David.

Metire turrim, fronte quæ subit domos
Astris verendas, hospes addiscas quota est
Telluris ampla portio; quota est maris.
Turrita nempe pegmatis moles pares
Vtrique vasto limites gerit sinui.
Sic una syrtes Balthicas prætervolat;
Ambasque complet Nazaris Solis plagas.

GEODESIA.

Virtutem magnitudinis eius quis enunciabit? Eccl. 18.

Allegoria tribus insequentibus Epigr. arridens

PYRAMIS.

Aspice quisquis ades, non est hæc Pyramis, olim
Quales Niliaca struxerat arte faber.
Metirine situm speras? est ardua. Dices,
Ad loca, quois abiit, credo redire studet.

EVTHYMETRIA.

Quis tetendit super eam lineam. Iob. 38.

EPIGR.

Pyramidem Tyrio quæ linea purpurat ostro,
Cuius opus? quali linea ducta manu?
Non hæ Praxitelis, nec fuit hæ Mentoris artes:
Tolle oculos, moneat Pyramis Artificem.

EMBADOMETRIA.

Operuit superficiem terræ. Num. 22.

EPIGR.

Terra parit flores; & aprico lumina fetu
Illicit: inde furit mors inopina rosis.
Ah! cape spectator mysteria, Lumina flores
Ne irritent, umbra Pyramis ista tegit.

STEREOMETRIA.

Fundamenta æterna supra petram solidam. Eccl. 26.

EPIGR.

Pyramidis non vana lapis fundamina sternit;
Qui lapis & duro plus adamante riget,
Nec frustra: celsa contermina Pyramis astris
Fronte, giganteo debuit ire pede.

COSMOGRAPHIA.

Mundum tradidit disputationi eorum. Eccl. 3.

EPIGR.

Sistite quassatæ rescindere viscera Matris,
Clausa quibus nullo limite Regna placent.
Quantula, quę punctum est, hęc magni portio mundi!
Astra manent, huc, o qui æstuat, arma ferat.

VRANOMETRIA.

Si ascendero in Cælum, tu illic es. Psal. 138.

EPIGR.

Sponsa vocor; cohibet quis, Sponse, quis ora tueri?
Quo vetor amplexus, Sponse, subire tuos?
Ah nosco! te te, si trasvehar astra, tenebo:
Sponsatisque premi tum dabis ora labris.
Debuit ista pati thalamus divortia? flammis
Vror, & o fiet, ni trahis, urna torus.

ASTRONOMIA.

Est speciosior sole, & super omnem dispositionem stellarum, luci comparata invenitur prior. Sa. 7.

ODE.

Qui pulsam rutila, Phosphore, noctem
Ridentique doces lampade; sydus,
Quod flammant Paphij Numinis ignes;
Cui Cypris Charites ora venustant;
I nunc, conde tuos nube nitores:
Et Ledæa iube sydera nautarum
Aspirare sinant candida votis.
Plus Virgo poterit; plus micat: atro
Velatum reputes syrmate Phœbum
Si contrà steterit Nazaris. Vmbras
Ploret Cimmerias Delia, cornu
Quæ parvos tumido præterit ignes,
Nunquam Virginea si face certet.

Quidquid

Quidquid Sydereos luminis Orbes
Ambit, Nazareæ Matris adoret;
Qui splendet roseo pectore, Solem.

SPHÆRICA.

Super stellarum verticem sublimatur. Iob. 22.

EPIGR.

QVæ nostris dudum mæstissima Mater in oris
Traxit funereos non sine nube dies;
Centum post luctus, tempestatesque dolorum
Migrat, & excelso transvolat astra pede.
Hic vertit rigidam funesta tragedia scenam;
Fitque parens risus, quæ modo pœna fuit.
Ite oculi in lacrymas; geminent suspiria, fibræ
His auris, isto flumine ad astra vehar.

THEORICA, PLANETARVM.

Dat Solem in lumine diei, ordinem Lunæ, & stellarum in lumine noctis, Ierem. 31.

DIST.

VIrgo coruscantem ni detegit Irida vultus,
Nocte diem videas, noctem Acheronte premi.

COMPVTVS.

Non annorum numero computata. Sap. 4.

DIST.

QVam Deus æterno miratus lumine Matris
Famam, quis certa claudat Olympiade?

ASTROLOGIA.

Scit præterita, & de futuris æstimat. Sap. 8.

ODE.

FAvete linguis: carmina barbiton
Scribenda avorum corde, nepotibus
Discenda seris, præter usum
Promit, io, saliente chorda.
Frustra altiores Pyramidum situ
Effingit arces pectoris ambitus.
Quid purpuratum, quid serenas
Cogitat emoritura luces
Humana proles? Astra perendinant
Nunquam occidentis funera gloriæ;
Nec prorogant momenta sortem
Divitijs operosiorem.
Stupes? docentem consule Nazarin:
Crystallus auspex sydereas faces
Scrutata, novit quæ futuros
Terrigenum movet urna casus.

NATVRALIS.

Signa, & monstra scit antequam fiant, & eventus temporum, & sæculorum. Sap. 8.

ODE.

O Vanas hominum curas! surgentia Cœli
Signa notant, moritura que servant;
Inde imbres, ventos, tempestatumque ruinas,
Formidandaque fulmina terris
Inspexisse aiunt turbato sydere, & iras
Nosse volunt sub luce maligna.
At quoties vana luduntur imagine! verbis
Sæpe fidem tulit exitus; ex quo
Decertantem Euris, quem non speraveris, Austrum
Expalles; promissa negatur
Nimborum ubertas agris arentibus æstu,
Quem rabidi pluit ira Leonis.
Scire cupis quales præsignent sydera casus?
I, fælix ex Virgine noris.
Scilicet astrorum potuit cognoscere motus;
Quos oculo præcepit Aruspex.

GEOGRAPHIA.

Super omnem terram gloria tua. Psal. 107.

EMBLEMA
Sol.

EOa qualis arva, qualis Gadium
Præter superbus syderum Præses plagas
Iacit serenæ lampadis Titan faces,
Dum circulantis nectitur plausus rotæ,
Vbique læto quem parit tellus sinu:
Sic Virgo casti pectoris flammas vibrat,
Lucemque spargit, stellifer caput Polo
Quá iactat Atlas arduum, Phœbus iubar
Vbique si fert; Solis haud ferat Parens?

ASTRONOMICA.

Exaltasti super terram habitationem meã. Ec. 51.

EPIGR.

SI datur æthereis, bellissime Sponse, theatris
Regia; cur terra tristior exul ago?

Me revoca

Me revoca: aut nostris succede penatibus hospes;
Quocunque hospitium feceris, astra facis.

HISTORICA.

Divisit eis terras. Psal. 77.

ELEG.

VIdit ubi vitę carpentem Nazarin auras
Stellifero mundum qui regit axe, Deus;
Cœlestum Procerum læta agmina circumspexit,
Inde serenato lumine blandus ait.
Fida ministerijs, quibus addidit aula Tonantis,
Fida cohors, cytharas excute; sparge iocos,
Vade per aerios tractus velocior Euro,
Et rue Nazareum qua tegit Hybla solum.
Hic infantiles lunato poplite cunas
Suspice, queis cunis blandula Sponsa iacet.
Pupa iacet, tandem fruitura Monarchis Olympo:
Nazaris æthereo Sponsa iuganda toro est.
Ac ubi sat teneram spectaveris Heroinam
Dulce vale ingeminans officiosa cohors;
Pars qua torpet hyems; pars qua Sol vergit in Austrũ;
Eoos alij quą mare spectat agros;
Cetera ad occiduas properet pars agminis oras,
Fundat & has hilari quilibet ore notas:
Pone metus; fere serta genus mortale: levamen
Orta Palestinis Pupula spondet agris.
Sic Deus. O referat Superum quis gaudia fando?
Non facit alterno nostra Thalia pede.

HYDROGRAPHIA.

Super omnem congregationem aquarum requiescet Eccl. 43.

DIST.

NAzari, qua flagras tanta est violentia, tutum
Vt spectes in medio Doridis amne rogum.

TOPOGRAPHIA.

Quis stabit in loco sancto eius. Psal. 23.

MADRIGALE.

SEnti turba felice,
L' alma del Ciel Regina, a te favella;
A te che spettatrice
Sei di scena si bella.
Qua porro il piede (ella cosí) qua lice;
Non a schiera d' amanti,
Che per Ciprigno ardore
Aggia fervido 'l core;
Ma a chi non sembri greve
Nutrire entro le fiamme
D' incendio piú beato un cor di neve.

CHOROGRAPHIA.

Intrabimus in regionem latissimam. Iudic. 18.

EPODVS.

TVrbaris? ah suspirijs modum tuis
Humana proles fige tandem! haud exulis
Premére ritu semper, & gravis genas
Non semper imber eluet: Regio datur
Paranda luctu; quæ leporibus vices
Reponat auræ tristiori luctuum.
Quid hac serena, quid beatius face
Lustravit usquam Phœbus? O qualem sinu
Amæna tellus fertili Maium videt!
Miratur hac ligustra; miratur rosas
Illac venustum purpuræ violis decus
Iactare, nullus cui terat livor comas.
Vbique vena lactei roris fluit,
Multoque melle proluit florum greges.
Quotidianus ambulator Chloridis
Pererrat hortos zephyrus, & somnos ciet,
Quos nulla turbet cura, vel fragor abigat.
Inoccidentis Veris hic demum loci
Florent, virentque: tristis exulat procul
Senecta: febres exulant: luctus, dolor,
Famesque, bellumque: alta pax Cives alit;
Quos ire suadet mente concordes Amor,
Humana proles lacrymis isthæc quies:
Ibique mæror prospicit catastrophen.

HISTIODROMIA.

Via navis in medio mari. Prov. 30.

EPIGR.

ESt mare, quod fluctus provoluit ad æthera, Mundus:
Vita rates cęco pulsa, repulsa noto.
Hac rate qui veheris, Ledæos anxius ignes
Ne pete; per maria hac tuta via est Maria.

PERSPECTIVA.

Super omne quod visu pulchrum est. Isa. 2.

EPIGR.

PVlchra micas oculis, aiebat Amasius, o qui
Casta verecundus purpurat ora lepor!
Invidet Oceanus pretiosa corallia labris,

Et tua

Et tuâ non torvus lumina Phœbus amat.
Dixeris: Æthereí certé hanc finxistis Amores;
Vsqueadeó Sponsa in Virgine forma placet.

OPTICA.

Apparuit rota una super terram. Ezech. 1.

ÆNIGMA.

SPonte Palestinis versatile pondus in agris
Visum ire; creditur rota: haud fides rata est.

CATOPTRICA.

Reflexa intrinsecus per circuitum. Ezech. 40.

Ænigma ortum e superiori.

QVæ rota visa diú ignitum curvamine gyrum
Contrahit, inde sinu parturiente rogos.
Et flagrat, & lucet; lucemque, ignemque refundit;
Vt dicas, instar certé ea Solis habet.

SCENOGRAPHICA.

Quam pulchra es amica mea, quam pulchra es. Cant. 4.

MONODIA.

AStrorum face Cæsaris
Vt Sponsi speciosior
Virgo luminibus nites!
Proh faces! io
Flagrantis Amor.
Quot pupilla ferit iocos!
Castis ardet amoribus;
Et me flammeolis ciet.
O Amor! floris
Dulcis hic rogus.
Rident liliolis rosæ
Quas ver, Sponsa, pluit genis;
Accenduntque cor. heu. manus
Vror lilijs,
Vrorque rosis.
Auri quantus inest comis
Decor! lambit eburnea
Cynthus colla: reciprocant
Crinemque nives,
Crinisque nivem.
Centum basia postulant,
Et millena super cient
Vivis labra corallijs
Emicantia:
Quam dulcé fluunt!
Qua non ulla venustior
Pura splendet imagine.
Ah spes! ah mea lux! pedem
Siste, saucius
Corde peto te.

ICNOGRAPHICA.

In manibus meis descripsi te. Isa. 49.

EPIGR.

TEr conatus eram describere Nazarin auro;
Reiectæ totidem sed cecidere manus.
Vidit amor, risitque; hoc telum, dixit, habeto;
Sculpere nec radio nobil ore potes.
Sumo celer: quasquas, rogo, cælet imago tabellas?
Corda notet? sed cor lumina non penetrant.
Expansis telo palmis inscribe figuram,
Inquit Amor; memor es sic, puto, quid sit amans.

ORTHOGRAPHICA

Altitudo eius nimia. Dan. 4.

EMBLEMA
Olympus Mons.

CRystallo quisquis cupido metiris Olympum;
Aspice; nil est, quod celsius Orbis habet.
Quas hominum iactat vesana superbia, moles
Ridet, & aerio vertice sydus agit.
Ardua Nazareæ est virtus Genitricis; & astris
Insita, sordentem quam bene spernit humum!

DIOPTRICA.

Omne sublime videt. Iob. 41.

EPIGR.

AStra venustatem, quæ fronte reciprocat ignes;
Quadrapitis nostris ardua luminibus?
Non omnem fugitis: vos Virgo tuetur: cœlis,
Evehitis flammas, ? altiús illa volat.

BARIOMETRIA.

Ponam iudicium in pondere, & iustitiam in mensura. Isa. 28.

DIST.

COr, mi gnate, tuum Themis hoc libramine scrutet:
Anné dabit pondus, quæ levat aura fibras?

MECHANICA.

Novis quibusdam, atque inauditis machinis expetivit in mortem. Ester. 16.

CANZONE ANACREONTICA.

Belle Ninfe di Permesso
Fia concesso
Aureo stile a eburnea cetra;
Ne piú rada umile 'l suolo
Nostro volo,
Ma si stenda insino all' etrá.
Canteró non la prodezza,
L' alterezza
Del cotanto chiaro Achille,
Qualor sea preda di morte
Con ria sorte
Alti Eroi a mille a mille.
Sento al cor un suon che dice;
Vincitrice
La gran Vergine s' ammiri;
Che puó lieto l' aere intorno
Far adorno
Del fulgor di suo' be' giri.
Vsó pur sceure maniere
Onde pere
L' empia Parca micidiale.
Belle Ninfe di Permesso
Fia concesso
Oggi alzar volo a bell' ale.

CENTROBARICA.

Erit equa libratio. Ezech. 45.

DIST.

INsidet hac Celum trutina; vis dicier emptor?
Da cor, emes: si das, quam sine corde sapis!

ORGANOPEIA.

In bello fortis. Sap. 8.

EPIGR.

FVdisse prima fraudibus Patres pugna
Olim superbo lætus ore iactabat,
Qui Mars phalangas traxerat rebellantum
Malé ominatas perduellis astrorum.
Speravit audax Nazarin catenatam
Protrahere posse regna sub stygis victor.
Movet arma, strages ore torvus intentat:
Sed ut, venusta amatrix ægideos, Pallas
Sævas minantem luderet neces pupum;
Tenebricosum Virgo sic ducem ridet!
Quid agit superbus hostis? an tulit palmam?
Vis scire quid agat? turpiter gemit victus.

THAVMATOPOEIA.

Facis mirabilia. Psal. 76.

DIST.

ARdua quis stupeat dextræ miracula? maius,
Quæ tot monstra paris, Nazari, prodigium es.

SPHÆROPOEIA.

Nosti ordinem Cæli, & pones rationem eius in terra. Iob. 38.

EPIGR.

SYdereas Virgo scis qua vertigine moles
Mens rotet, ac terras erudijsse potes.
Ite Syracusij pharatica somnia fabri:
Ludit, & in vitreo luditur orbe labor:

HYDROSTATICA.

Quecunque erant natantia in terram, transibant. Sap. 19.

SYLVA.

VIderat innantes pia Nazaris ire catervas
Humanæ sobolis lacrymarum hæc equora
(nempe est
Mundus serenos nesciens æquor dies)
Quas, ni præstet opem, turbinis ira rapit.
Ergó Parens occurrere gnatis
Studet, sinumque pandens
Spondet salutem naufragis,
Felix Adamidum genus!
Præside Virgine nulla pericula
Terrent animos.
Tenebricantes noctis umbras,
Et æstuantes turbinum iras
Vitare tutó possis;
Hæc Cynosura suos si prospera ventilet ignes.

HYDRAVLICA.

Motum fluctuum eius tu mitigas. Psal. 88.

DIST.

QVo vehimur, fluvium divexent turbine Cauri:
Nox hæc, iubente Virgine, pariet Solem.

PNEVMA-

PNEVMATICA.

Volavit super pennas ventorum. Psal. 17.

ELEG.

VAdone? Sponsa vocor: flammis nimis uror Amoris,
Vadone sydereis Nympha petita plagis?
Sponse tui amplexus, tua sunt in amoribus astra:
Cogit amor; properem; cur vetat ire timor?
Ah! pennas humeris, ah! quis talaria plantis
Nectat, ut astrorum transvehar usque fores?
Audiit Æolij puto carceris Arbiter, aurasque
Immisit claustro, quas amet Hybla leves.
Festinant Zephyri molles; solitoque fugaces
Pervolitant; grandi stat brevis hora lucro.
Quò devenerunt loca læta, ubi Nazaris orat,
Detur io tandem ferre per astra pedem:
Regnatricem animant; ea leniter annuit; illi
Supponunt humeros, celsiùs inde volant.
O abeant cordis totæ in suspiria fibræ!
Quis scit, an & huius flaminis aura vehat.

AVTHOMATICA.

Non coactè, sed spontaneè. 1. Petr. 5.

EPIGR.

TOllitur æthereas obitura volubilis arces
Flamma, coercentes nescia ferre moras.
Indidit hos genitrix animos: sic migrat in auras
Virgo; nec cernis qua potiatur ope.
Infixis hæres oculis, & pectore torpes.
Vnde stupor? fibras consulo, nosce rogos.

SCHEMATOMETRIA.

A mensura ista mensurabitis. Ezech. 25.

Dist. arridens Alleg. superiori in qua apponitur Pyramis.

MEtirine cupis? serva quam Pyramis umbram
Sternit humi: hæc ad opus clarû iter umbra facit

EPIPEDOMETRIA.

Irrigabat universam superficiem terræ. Gen. 2.

EPIGR.

QVæ elicuit Veneris pede læso spina cruorem,
Fabula ait, vitam præbuit ilia rosis.
Qui florere vides remantia lilia campis;
Dic; terram lactis flumine Virgo rigat.

HEDRICOMETRIA.

In superficie posuit. Ezech. 17.

FVlgurat é summo Nasareia vertice; speras
Anne parem, virtus æmula, ferre pedem?
Hoc Cœlo tumidas qui Dædalus explicat alas,
Icaron alta nimis credo ruina facit.

STEREOMETRIA.

Quis posuit mensuram eius? Iob. 38.

EMBLEMA

Statua condens caput inter nubes.

MOles verenda ea est, viator, quam vides;
Qua nec superbus audeat Iovis situs
Certare; nec qui prospicit Phœbus Thetis
Turritus undas Rhodiæ; amica navitis
Nedum tumescit hac Pharos coram. Stupet
Ars, metientem pegma siquem viderit,
Ridetque: opificem terra non parit, manus
Qui inserere puris sordidas astris queat.

PHILOSOPHIA PRACTICA.

Virtus tua Iustitiæ initium est. Sap. 12.

EPIGR.

SErvatrix, niveo qui florent pectore, morum,
Ne fuge, Virgo, miser quæ fero vota cliens.
O tua si servem paribus vestigia curis,
Nulla mihi rectum semita rumpet iter.
Vsqueadeò fulget Virtus in Virgine; utroque
Sim captus quamvis lumine, tutus eam.

ETHICA.

Gressus hominis dirigentur. Psal. 36.

EPIGR.

CArpathias quoties immissis Æolus Euris
Infestus cæco turbine vexat aquas,
Ni Palinurus opem solerti remige spondet,
Siqua natet toties puppis inerma perit.
Ergo sepulchralem trepidas si, grate, ruinam;
Tutrix sit vitæ, Virgo, magistra necis.

ARETOLOGIA.

Magna virtus eius. Psal. 146.

PANEGYRIS.

ABsiste livor : Nec bene nablijs
Aptanda Dyrceis, humili licet
Buxo redordimur : recede.
Scena tuis inimica plantis.
Sacri venustam luminis Arbitram
Te Musa cantet, Nazari ; cui super
Nimbis ligustrorum pudicus
Fertur Amor posuisse cunas.
Quid alta prosint stemmata Cæsarum
Nascenti avorum ? clarior emicat
Nitore Virtutum ; hæc coruscis
Nobilitant animum trophęis.
O sorte Matris nata beatior !
Rerumque prudens vis animo sedet ;
Vindexque fraudis, & rebellem
Calce stygem domitura victrix.
Serena si sors riserit, aut levis
Insanientem verterit orbitam ;
Nunquam querelarum, iocique
Ancipites valuere sortes
Turbare amænam pectoris Iridem.
Spernit lepores ; spernit inutiles
Pompæ triumphos, nec superbos
Concipit ambitiosa census.
Portenta vah quæ lumina viderint ;
Vitæ theatro, vel penetralibus
Si specter hospes cordis. Ast heu
Musa modis tenuare parvis
Canenda quæ sunt alite prospero
Astrorum Alumnis parce : loquacibus
Impone nervis ; & Parentis
Nazareæ vereare Numen.

PRAXIOLOGIA.

Virtutem operum suorum annuntiabit populo suo. Psal. 110.

ODE.

QValis nubila diruit
Intonsus roseo lumine Cynthius ;
Formosamque tuerier
Terris cæsariem gaudet : amabilis
Virtus non secus invidis
Erumpit nebulis clarior ; ac opum,
Quas dives refovet sinu,
Dulce est participem progeniem pati.
Patrum lenta senum cohors,
Matronæque graves, tendite puberes,
Immistæque puellulis,
Ah quæ segnities ? tendite Virgines,
Quà fert Nazaris : edocet
Recti tutâ vias quo pede triverit.

POLITICA.

Lætificat Civitatem Dei. Psal. 45.

EPIGR.

DVm subit æthereos Cælestis Sponsa Penates,
Mille aperit terræ lumina, mille Polo.
Hæc nutant risu : rorant ea lumina fletu :
Quo Pietas ? Superos nostra querela levat ?

POLEMICA.

Præcepit militiæ belli. Isa. 13.

EPIGR.

ARmatos ad castra vocet licet efferа manes
Tisiphone, & torvo vibret ab ore neces ;
Ne trepida, pectus ; Nazareia Pallas in hostes
Dat vires ; una hac Prę.de cuncta domas.

INSTITVTIO PRINCIPIS.

Facies Principum mirabuntur me. Sap. 8.

EPIGR.

ILla ego Cæsarei solers Antistes honoris
Edoceam quidquid regia sceptra decet.
Væ Regnis ! si spernar. opem qui postulat, Irus
Cæsar erit ; dederat, qui modò, quærat opem.

IDEA BONI PRINCIPIS.

Princeps ea, quæ digna sunt principe, cogitabit. Isa. 32.

EPIGR.

MAgnos magna decent: puero si certet, Achillem
Posticus regio scommate Momus agat.
Pellæum violet Plebeia cupido Tyrannum ;
Regales ortus regia sceptra manent.
Candorem quæras Genitrice in Virgine ? fibras
Inspice, cerne genas: candor utrinque trahet.

ÆCONO-

ÆCONOMICA.

Dilexi decorem domus tuę, & locum habitationis gloriæ tuæ. Psal. 25.

EPIGR.

SPrevi serena fronte Sponse mi, mi Rex,
Quas aula sæpe ludicras tulit pompas,
Dolosa Siren aula, fœda prædatrix
Animi nitorum candidi: tuæ castos
Didicisse placuit, Sponse, Regiæ mores.
Non hanc pudenda dedecus nota turpat,
Cuius Apici non terit nepos postes.
Væ sceptra! væ! petulca væ cohors neptum!
Mores quis exitus manet Lupercales?
Nudi decore Regias statuunt nudas.

IDEA BONI PATRIS FAMILIAS.

Obviabit illi quasi mater honorificata. Lc. 15

SYLVA.

QVando per æthereas roseis invecta quadrigis
Festinabit Nazaris auras
Fruitura sceptris syderum;
Si occurrat patrijs properanti Sponsus ab astris
Ore verecundo Nuptam spectabit euntem;
Qualiter ire solet Tithonia Virgo, serenos
Vertice diffundens ignes, dum nubila pellit,
Vmbrasque lentas increpat:
Aut qualis altæ proditrix
Matrona pergit indolis.
O quas honesta posteris
Leges dedisse proferat seris Parens!
Quibus alta patrum decora, queis splendor domus
Clarior assurgit veros pariturus honores.
Venam Parentem moribus sequar gnatus!

ÆCONOMIA SOPHOCLÆA.

Vtilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in Iustitia. 2. Timot. 3.

EPIGR.

LVce Cleanthea quid mercaturus honores
Crysippi archetypum, Democritumque teris?
Clara hæc ad pluteum tunc lucubratio prodit,
Cum sit præ reliquis Nazaris ipsa liber.

ÆCONOMIA SATRAPICA.

Ponam visitationem tuam pacem, & præpositos tuos iustitiam. Isa. 60.

EPIGR.

ODi profanos, renuo præliaturos.
Virtutis ardor, alma pax probat gnatum;
Scelera pudendum, & iurgium facit neptem.
Cave; superbum respuo; placet mitis.

SCHOLASTICA.

Disciplina tua correxit me. Psal. 17.

EVCHARISTICON.

PHæbe Camænarum pater Hippocrenigenarum
Vre fibras meliore rogo; mihi fortius æstro
Corda quate, & magnis erumpat vocibus ardor.
Canenda Nazaris:
Illa verecundi Pręses, pia Pręses, Amoris.
O faveant nostris ridentia sydera votis!
Quis mihi Pegaseum det conscendisse veredum?
Ibo, quaque Atlas stellis ardentibus aptum
Axem humero torquet: visam Mœotica tellus
Quidquid alit; lætusque tibi, bona Nazari, plausus,
Quamlibet exiles,
Plectro temperem.
Scilicet o quales, Præceptrix integra mores
Tuis venustos debeo cathedris tyro.
In freta dum fluvij current, dum Vesper Olympum
Claudet, tanta tui stabunt monimenta laboris.
Ast ego, deciduos dum spiritus hos reget artus,
Ex te remetiar
Sole oriente, meos sole cadente dies.

PRVDENTIA.

Qui audit me non confundetur. Eccl. 24.

ODE.

PRoh nequiorum sęcula criminum
Fęcunda! Patrum degener indoles
Præsignat ore, quæ nepotum
Inficiant vitiosa mores.
Vesana quam mens suaserit, aut dolor;
Solers coercet nemo licentiam:
Mox heu furores execratur;
Nec maculas volet esse culpæ.
E lacrymarum fonte piacula
Petenda restant. Providus arbitræ

Compesce

Compesce mentis impetum, ne
Carnifices patiare noxas.

MEMORIA.

Exultabimus, & lætabimur in te memores uberum tuorum super vinum. Cant. 1.

EPIGR.

IBimus in teneros ridenti lumine plausus;
Subsilientque sacris enthea corda rogis;
Casta Parens, quoties animo, memorique recursu
Ora iterum libent ubera pressa labris,
Qui maternarum lenimina deliciarum
Qui tenet, ac torvo negligit ore iocos;
Dixeris; obdurat cautes Marpesia venas;
Si quandoque neces & meminisse lubet.

INTELLIGENTIA.

Alta a longe cognoscit. Psal. 137.

ODE.

SEvera si fors cordis amabilem
Timore risum turbet inanibus
Larvata spectris, si timendos
Præmoneat nocitura casus:
Nemo ruinis credulus ingemet;
Parentis uti si velit indice;
Formidolosis, quá petendum;
Sternet iter sine fraude tutum.

DOCILITAS.

Suscipe disciplinam, ut sis sapiens in novissimis tuis. Prov. 19.

EPIGR.

ABnuis imperium Nasareidos? abnuis eheu
Gnate iugum? ah! preceps ad stygis antra ruis.
Resp ice quos Circe; da Virginis ora lupatis.
Vitæ præceptrix hæc erit, illa necis.

EVSTOCHIA.

Si repente interroget, quis respondebit ei. Iob.9.

EPIGR.

SOlertes Animæ, quibus aurea gloria palmas
Messuit; Argolico pulvere lecta seges;
Si certet Virgo genitrix, inopinaque surgat;
Vt lentum subitis casibus ingenium!

RATIO.

Audivi te sapientissime conycere. Gen.41.

EPIGR.

QVisquis Socraticas, Platonicasque,
Aut ridentis obit senis cathedras;
Quisquis vel tacitam stupet palæstram;
Virgo; Pythagóras, Platonas, & quot
Iactat Græcia, rideat, negetque
Illos edidicisse te magistra.

CAVTIO.

Cave tibi, & attende diligenter. Eccl. 13.

PARAENESIS.

AGé pubes animoso cita curru
Ne inopina stygis hospes lue fibras
Populetur; fuge pompam, Saliarem fuge risum
Violarum cave vultus, simulatam
Tibi spondet lepor auram: cave; florum
Rosa sceptri moderatrix nociturum fovet anguē.
Corybantum melopeas; Epicurum
Tibi bysso chlamydatum iocus obdet.
Scelus horres? Cave suadam vigilantis ioci ad
aurem.
Age Matris Solymææ cape leges;
Neque furvæ piceatam necis umbram
Trepidabit, quod honestum cata servat genitrix,
cor.

CIRCVMSPECTIO.

Magis enunciat vera, quam septem circumspectores, sedentes in excelso ad speculandum. Ec.37.

EPIGR.

SEptena Patrum palliata prodeat
Stipante doctis Græcia sophis latus;
Theatra poscunt, prodeat cohors: prior
Cui fama primam detulit palmam, Solon,
Erumpe; scena plausibus crepitat tuis.
Erumpe; solers qui, quod obvium stetit,
Specularis altâ mentis indolé, ac tenes.
Erumpe quid moraris? o stupor! Senum
Comitante turbâ terga dat scenæ Solon.
Dic musa, dic, quis exules agit timor?
Solertiorem Nazarim elingues stupent.

PROVIDENTIA.

Omni, tempore invenies quod necessarium est. Eccl. 29.

ODE.

DElicta Patrum væ lacrymabilis
Propago solvis! delicias domat
Commorsa fibras, luctuosas
Ægra genas, Metanœa flagris.
Hinc occupatam seditionibus
Languentis arcem pectoris, impete
Sensus rebellantis phalanges
Tenareæ Babylonis urgent.
Eheu! Parentem provida Nazarin
Supplex adora. Preside Virgine
Nil deest: agone si laboras
Illa animos dabit, illa lauros.

MONASTICA.

Spolijs non indigebit. Prov. 31.

EPIGR.

VT vitet, quæ damna putat, fugit ocyor Euris
Vsque volaturus Balthica saxa Chremes.
Ast ubi sors contra steterit, quo Tullus, & Ancus?
Quæ Tartessiacas arca flagellet opes?
Sola vices ultrà perituræ sortis, amatrix
Gnato quæ oranti munera Virgo dabit.
Littore ab Eoo Crœsus spolia ampla reportet;
Oras tu Matrem? ditior inde redis.

POLITICA.

Habitatio Civitatis huius optima est. 4. Reg. 2.

EPIGR.

SIste cor; ethereæ te, cor, ciet aula Sionis;
Ille? theatralis quó rapit aura ioci?
Disce Sioneæ Regnatricem Vrbis: acerbum
Inde puto quam sit! noveris exilium.

ÆCONOMICA.

Intrans in domum meam, conquiescam cum illa. Sap. 8.

DIST.

FLorea sordet humus; pia sydera pandito valvas:
Hoc plus vepre rosas asperat hospitium.

MILITARIS.

Non est potestas, quæ comparetur mihi. Iob. 41.

CARMEN.

QVid ceromaticum suffusos pulvere crinem
Prona Agamemnonios miraris gloria Martes?
Quid populatrices, iaculatricesque phalangas
Sauromatum, rigidamque times attrita bipennem?
Ne genus invictum reputet Lupa Romula Penum,
Cedo, fuga, flammis grassantem castra Quiritum,
Tingentemque sacram Tyberinæ Tethyos undam;
Quippe fatiscentis deliria vana furoris.
Amphytrioniadem, quamvis tener occupet hydros,
Rideo torquentem meliori robore clavam.
Quin si Tenarei Mavors Acherusius orbis
Signa secuturos piceata lampade manes
Instruat, & comitem se furvis misceat armis,
Iesseam minimè conamen Amazona terret.
Vsqueadeo nulli vis eluctabilis hosti
Concipitur fibris, quæ cordis obambulat arcem.

REGNATIVA.

Per me Principes imperant. Prov. 8.

ODE.

NE vela sorti nuper amabili
Conchyliati credite Cæsares;
Rapit secures, sceptra donat
Arbitrio popularis auræ.
Serena, me me vindice, Principum
Florent columnis regna adamantinis
Innixa; nec timet ruinas
Purpureo nitor igne flagrans.
At ni superbos provida temperem
Motus: rosarum defluit ut citó
Ostrum; Tyrannorum cadentum
Grande decus brevis urna sorbet.

MONARCHICA.

In omni populo, & in omni gente primatum habui. Eccl. 24.

EPIGR.

SOla ego quæ roseum spirantes naribus ignem
Alipedes Titan Doris ab amne ciet,
Vsque peregrinas, quibus ille occumbit, ad undas
Porrexi haud rigidæ sceptra verenda manus.
Me me iura mei volvere Monarchida Sponsi;
Væ lesor! gemino crimine lesus eris.

ARISTO-

ARISTOCRATICA.

Pauci viri mecum. Neem. 2.

EPIGR.

FOEcunda Præses ingeni, artium Mater
Venusta, fortis Virgo, ne dole Pallas,
Si, quorum honestas laurino comas serto,
Conclave nostrum consules patres nolit.
Modicis, bonisque tutior viget Virtus.

DEMOCRATICA.

Salus ubi multa consilia. Prov. 11.

EPIGR.

NAvi Solonum posteri, qui haud violandas
Platoniano figitis cilio leges;
Politioris incolis cohors Patrum
Ne fugite; niveum Nazaris cor est, prosit.
Conclave tutum, Virgo si favet; turpe est,
Iniqua statuit; Virgo quó procul fugit.

ECCLESIASTICA.

Laus eius in Ecclesia sanctorum. Psal. 149.

EPIGR.

NAzarin ingeminet venerando in syrmate Mysta,
Quá Vaticanis ignibus ara micat.
Arceo vos, nutrix quos heresis improba lactat;
Virgo profanato ne trahat ore luem.

CIVILIS.

Civitatem fortium ascendit. Prov. 21.

DIST.

FOrtibus astra patent: raptat violentia Cœlum:
I tellus, Mariæ si potes obde moras.

GNOME.

Lex a me exiet, & iudicium. Isa. 51.

DIST.

IN orbe quisquis me colit Themin, par est
Probet ad tribunal, astra cum citant, Matrem.

SYNESIS.

Rectum iudicium tuum. Psal. 118.

EPIGR.

QVæ potiora mones, gnatisque haud dissona, mentem,
Siquandó errantes videris ire vias,
Tu rege; consilijs opus est pia Nazari: corda
Mireris pereant si malé? ceca ruunt.

EVBVLIA.

Habito in consilio, & Eruditis intersum cogitationibus. Prov. 8.

EPIGR.

DEdecorant animos vani deliria cordis;
Solaque solertes gloria spectat avos.
Attamen, o facinus! supremas Mundus in horis
Proruit, & raros cernimus ire senes.

IVRISPRVDENTIA.

Per me legum conditores iusta decernunt. Prov. 8.

ODE.

SIquem dura iuvet frena licentiæ
[Quæ vis degenerem temperet indolem]
Iniecisse gravi nube supercili;
Iestiæ Themis aureum,
Quo nil certius est, consilium sequi
[Addiscenda loquor symbola neptibus]
Fas credat; rigidę sic pretiosior
Vindex lancis habebitur.
Rarum, quem numeres, fraudibus Arbitrum
Expertem videant astra. Solonibus
Nec syncera putes pectora fluxerint.
Censor iura Laconibus
Servanda implicitis dedecorat dolis.
Sic quos Egeriæ somnia luserint
Nati Romuleo sanguine respuant
Transmissum Curibus senem.
At si Virgo tenax propositi regat
Lances, quas rigida lege libraverint
Censores, Themidem non violet manus,
Massilo ungue nocentior.

DIVINA.

Lex Dei eius in corde ipsius. Psal. 36.

EPIGR.

MVnde vale; Genitrix novit Nasareia fraudes;
Novit quam misces nectaris imbre necem.
Durum est servitium, dura inclementia legum est,
I, poteris Sponsi surripuisse iugo.

HVMANA.

Iudicium tuum Regi da, & iustitiam tuam filio regis. Psal. 71.

PROSEVCTICON.

VIrgo, Cæsarum manus
Themis severa lance ni coerces,
Sceptra proruent, ruet
Regalis aulæ fulgor, & cadentem
Vrna perbrevis sinu
Obliviosis contrahet sub umbris.
Vt rosæ petunt leves
Etesiarum spiritus, acerba
Morte ne raptos fleant
Dies, & ostri aprica qui nitores
Arva luminis beant
Venustioris imbribus; potentum
Non secus greges tua
Regum præoptant munera, O Supernæ
Erudita moribus
Monarchis aulæ, Præsidem tribunal,
Arbitramque Principum
O tandem adesse sentiat. Scelestum
Nemo turpiter genus
Errare tertis viderit nepotum.

NATVRALIS.

Naturaliter ea, quæ legis sunt, faciq. Rom. 1.

EPIGR.

DVlcé trahor, quocunque trahor: rapit ardor Amoris
Mentem; quæque iubes, sedulus implet Amor.
Si potui ætemos sic, Sponse, obiisse triumphos;
Quæ datur ex astris laurea, tota tua est.

POSITIVA.

Pondus æquum voluntas eius. Prov. 11.

DIST.

VErere Matrem, chó cor, & noxas fuge:
Levare quæ scit filium, neptem premet.

PVBLICA.

Lustravi universa animo meo. Eccl. 7.

EPIGR.

CVncta oculis animi inspexi, speculataque novi
Quæ peragenda pijs, quæque cavenda forent.
Et pondus renuis vesana superbia legum?
Non sum vana Themis, siste: Quid ergo? Parens.

PRIVATA.

Causas singulorum intuebitur. Iob. 35.

EPIGR.

NOn ullum tutrix arcet Nasareia clientem;
Quæque favet pueris, respicit una senes.
Damnet Atestinos quot novit Marsya: causas;
Patrona hac, census portio quanta manet!

ECCLESIASTICA.

Lex clementiæ in lingua eius. Prov. 31.

ELEG.

O Quibus astrorum fumantes Regis ad aras
Contigit æthereum cogere voce Iubar;
Spernite quas roseo fucata lepore voluptas
Spondet delicias progenitura necem.
Effugo sacra cohors, mala ludia ventilat ignem,
Vnde urit picea lampade fœda Venus.
Sola togatorum Virgo tutatur honores;
Sola voluptatum negligit illa dolos.
Illa Cupidineis nunquam violanda favillis
Armatam tedis arceat una Cyprin.
Illius ergo iussa, & iura capessere tutum est:
Virgo dabit, videam quæ decuisse togas.
Formidandum adeó? nec legibus indulgendum?
Quis stupor? Euripi quæve procella trahit?
Dulcé iubet Virgo, dulcis clementia legum est:
Quis renuat suavi subdere colla iugo?

CIVILIS.

Novit causam pauperum. Prov. 29.

EPIGR.

TEmpora væ! Astreę vę noxia tempora! mores!
Pauper es? haud ullus spondet amicus opem.
Sola suos decorat Regina pecunia Crœsos;
Dives & ad lancem sponsio pondus habet.
Paupertas inculta comas, exesa lacertos
Non exorandas excubat ante fores,
Fatorum capiat sperata levamina, avara
Quidquid terra negat, prodiga Virgo feret.

DICÆOLOGIA.

Scrutabor Legem tuam. Psal. 118.

EPIGR.

NAzaræis Themis orta plagis glabraria non es,
Nulla quidem ad lancē prēmia pondus habent.
Nosse iuvat legum quæ vis: at nosse quid ad te?
Inquis. Quid? leges nosse sat est, ut amem.

DICÆODOTICA.

Audi vocem populi in omnibus, quæ loquuntur tibi. 1. Reg. 8.

EPIGR.

PLorantum, Virgo, ne respue vota clientum,
Cui licuit summi noscere iura fori.
Insimulat glaber anguis; obest vafer ore; cavillis,
Ni tueare, stygis proditor imposuit.

DICÆOCRITICA.

Iudicabit populos in Iustitia. Psal. 9.

DIST.

NE fuge; corripiat si mores Nazaris; ęquum est,
Hæc quodcumque Themis fecerit arbitrium.

SYNEGORETICA.

Advocatum habemus apud Patrem. 1. Io. 2.

EPIGR.

POne metus mortale genus, querulisque procellis
Plus æquo tristes parce rigare genas.
Quem Virgo peperit, te propter Patris ad aurem
Orat, & oranti haud irrita vota cadunt.
Mitte igitur questus: mærorum scena peracta est.
Qui nunquam fallat vota clientis, habes.

EPITROPEVTICA.

Iudicio defendet causam eorum. Ierem. 50.

OMEN.

QVisquis profanæ calcitrat dolos Circes
Contemptor, hostis sordidæ voluptatis,
Amatque purus Nazarim, & colit supplex
Quæ Virgo gnatis imperat; greges inter
Erret beatos; procreet oculis tellus
Fœcunda flores; exultet rosetorum
Præcinctus ora lilijs secus spondas.
Illi December temperet nives: illi
Etesiarum mulceat rogos flamen.
At cum supremam duxerit soror tramam,
Et obstrepentis civerit tubæ clangor
Summi tribunal ante Iudicis; gnatum
Formidolosum, pallidum, pigrum mater
Serena frontis Iride expediet vinclis,
Notasque sontis eluet; dies inde
Beatiores ire viderit Civis
Donatus astris. O amoribus merces
Paranda! Amore hoc perceitus flagrem? felix.

GRAMMATEVTICA.

Confirma sententiam, & scribe decretum. Dan. 6.

EPIGR.

O Vtinam rerum, Virgo, tutela, salusque
Obfirmes, astris quæ statuisse velim.
Si Superum ceris inscribat Nazari; dulcis
Vita mihi valeat; dulcior urna rapit.

ARS.

Artifex omnium rerum docuit me. Sap. 7.

EPIGR.

EDita Phidiaco iacuere toreumata cælo
Carpsit Apelleam fæda senecta Cyprin.
Mentoreæ periistis opes, periistis honores:
Quo Scopa? Praxitelis quove anaglypta iacent?
Ingens Argolicæ munus, Latiæque Minervæ,
Funeream in taxum Delphica laurus abit.
Ast ea, quæ prodam clari monumenta laboris,
Elusisse putes temporis invidiam.
Nec mirere: opifex qui me Deus instruit; ille est

Ævo qui

Ævo qui nostræ surripit artis opus.

PHILOLOGIA.

Habitat in domo libera. 4. Reg. 15.

DIST.

QVæ Patris evicti nescit contagia casus;
Anne iugi victrix pondere Virgo gemat?

GRAMMATICA.

Complebo sermones tuos. Reg. 1.

ETOD.

PRolem venusti candidam mores decent;
Et purus ora lactei roris latex,
Coinquinata ne fluat linguæ Venus.
Puer profanæ gymnadis limen fuge,
Fuge irruentum fuge catervas puberum;
Quà molle Cypris aperit ad manes iter.
Vita cathedras, fęda queis bibitur lues
Nocitura cordi: præpes i, pete Virginem,
Tenella pubes; hac magistra purius
Quid esse possit? Parrhasis sordent nives;
Sordetque candor lilij; sordet Paros.
Fędare credas lactei venam sinus
Simul ac pudicæ Nazaris iubar vides.
Tenella pubes præpes i, pete Virginem.
Quid esse possit hac magistra purius.

GRAMMATISTICA.

Potestis legentes intelligere. Ephes. 3.

INSCRIPTIO.
Ad valvas Gymnasij Prçceptricis Mariæ.

BOnas artes antequam discas,
Felicissimus profecto Puer,
Si iam didicerit animus exercere meliores.
Nostræ Gymnadis instituentis ad omnia
Vnum hoc præceptum est:
Timo Deum; & esto sapiens.
Arduum sané,
Sed quod & rudes tyrones intelligant.
Quisquis igitur hoc Lyceum ingrederis,
A terrenis animum avoca,
Mox divina eructaturus eloquia;
Ac ut is auditor eniteas,
Qualem volumus modestissimum,
Priusquam ingrediaris;
Animadverte,
Præceptricem Virginem esse.

ETYMOLOGICA.

Confirma me in verbis tuis. Psal. 118.

EPIGR.

VIrgo infantilis linguæ rege provida motus;
Peccet lingua parùm sobria syllabulis.
Tyroni Mariæ da flectere dulce vocamen
Casibus; o Genitrix, ut mihi dulce sapit!
Quodque moper lapsos, instantes firmat, amoresque
Inde vovet, Verbum præmonuisse velis.
Plus mellis Mariæ, quam Pithus nomine libem;
Et satis edidici, Nazari, si sat amem.

SYNTACTICA.

Disponet sermones suos. Psal. 111.

EPIGR.

QVi primis puer, indolem palęstris
Versas, Cecropiæ decus Puellæ;
En, adsis animo, politiorem
En sisto tibi Nazarin Minervam.
Hæc hæc erudiet venustiores
Sermonis phaleras; favente sic es
Felix invidia; nec est iniquos
Quod ronchos metuas; severa ne te
Censoris nota rideat: magistra
Hac hac vindice, vel Probum coerces.

ORTHOEPEIA.

Pronunciabo mirabilia tua. Psal. 70.

EPIGR.

VIrgineæ mediter fari preconia Matris;
Nescio quid partas enecat ore notas.
Coner? abortivam stupet inscia lingua Minervam,
Fartaque barbaricis dispudet ora modis.
At quid verba iuvent? sit Amor vox, linguaq; cor sit
Credo ais, hac quando proloquar arte; PLACET

ORTHOGRAPHICA.

Scripsit sermones rectissimos. Eccl. 17.

ELOG.

VBi omnia veré fuerint composita,
Nullum reformides errorem.
Solertissimum ubique,
Quem Virgo instituerit adolescentem,
Nullibi mendosum deprehendas.

Quas didicerit animo politiores effingere,
Inoffenso stylo purgatissimas orationes
Reddere non ignorabit,
Habent petiti ex hoc gymnasio librarij,
Vt nunquam intermissis literulis,
Nedum syllabulis peccent.
Vsqueadeò eorum animi candor,
Et levi unius lituræ labecula
Deoscurari penitus extimescit,

LEXICA.

Nescitis quid ista significent? Ezech. 17.

EPIGR.

Spernere quæ spondet μελετήματα κόσμος, ἄριστον,
Τοῦτο τὸ γῆς, ἄριστος φαρμακὸν ἐστι κακῶν.
Nescitis quid graia velint syntagmata? adite
Nazarin; arcanas expedit illa notas.

PHILOLOGICA.

Diversis linguis, & literis. Esth. 1.

EPIGR.

TE canit Argolicis spectata Poetria scenis,
Et quæ ortus Rubræ Doris ab amne trahit,
Insequitur Clio Latijs nutrita Palæstris,
Quæque per Etruscæ Chloridis arva salit.
Vox diversa sonat; linguarum vox tamen una,
Vnica cum risus diceris esse Parens.

TECNOLOGICA.

Vt detur adolescenti scientia, & intellectus. Prov. 1.

EPIGR.

QVotquot Athenarum solertia noverit artes,
Virgo ait; has uno codice, gnate, legis.
Arduus est, fateor, labor hic: liber aureus hic est:
Nazaris esse liber dignus, & esse labor.

Η ΓΛΩΣΣΑ ΕΛΛΗΝΙΚΗ

Ηλθεν εις την Ελλάδα.
Πραξ. κ.

Ελλας ἐγὼ τελέθω ἤδη μυστηρίων οὖσα,
Ἥτε σοφῶν Παλλὰς, ἥτε θεῶν Κυβέλη.
Νῦν δ' εἰμ' ἐρημονίδων, πάλαι ἀνέρας ἡ τετοκυῖα,
Καὶ δυσφερὸν φίλομαι, ἡ ποτὲ λαμψαμένη.
Ἐξ ἐμοῦ ὅσσω πολὺς μελοποιῶν ἦλθεν ἀριθμὸς ὁ
Ὁ'ι τίνος Αὐσονίοις καὶ παράδειγμα φέρει,
Τοῖσι πάλαι κιθάρην γλυκεροὴν περικαλλέα θῆκα
Ἐν χερσὶν, οὓς ἔτρεφεν ῥύσεσιν ἰαλεμικαῖς.
Τίς σοφίη λαμπρῶν κοινὴ πατρὶς ἔπλετο ἀνδρῶν.
Τίς μὲν Ἀριστοτέλη τίς τε Πλάτωνα φέρει;
Ἑπτὰ σοφοὺς ἔθρεψε, μέγα φῦλον οἵτινες ἦσαν
Τῶν ἀρετῶν πασῶν, καὶ καλὰ πολλὰ λέγει.
Ἑλλὰς ἐγὼ γενόμην, σοφίης ἐμὴ Φοῖβος ἀκούμενη.
Νωὶ σελήνη σοῦ θρῆσκα ἐπισκοπίει.
Νῦν Ἑλικωνιάδες μετὰ Κασταλίδες τε ἀδελφαὶ
Καλλιρόην κρήνην, Πίνδου ἄφυσαν ὄρος.
Ἐκ τούτου κατέβη μετὰ Ὅμηρος κοίρανος ἀνδρῶν
Τῶν Μούσαις φίλων, ὃ δακρύσαντα νοῦ.
Πίνδαρος ἱμερόφωνος, σὺ ἀργυρότοξος Ἀπόλλων
Ἕτρεφε, ἀφήκατο σὺν θελξίνοον κιθάραν.
Ἡ μέλος ἁρμονίης πάντη κατέχευεν ἄριστον,
Ὀδύσσειον ἔτεκεν βαρβαρόφωνος ἔφυν
Παντοδαπῆς μετὰ ὑπῆρχον χωρῶν ἔξοχα δῆλον,
Ἰδμοσύνην ἔρυκες νῦν με ἀπείρξαν ὅλην,
Οὔνομα οἶσιν ἔτευξεν Ἀθήνη λείψατο ἄστυ
Καὶ πρὸς ἡμᾶς νόσιμον ἦμαρ ἴδῃ.
Ἀλλὰ τὰ νῦν γε φάος θεόθεν μὴ ψευδὲς ἔλαμψε,
Καὶ δὴ θλιβομένην ἐλλάδ' ἔθαλψεν ὅλην.
Ἐς τῆς δουλοσύνης μετὰ ἀναπαύσεις βαρείας,
Καὶ τὴν ἀρχαίαν ἕξει ἐλευθερίην.
Δὴ τότε γ' ἀνθήσουσι λόγοι, ἀρεταί δ' ἔτι πᾶσαι.
Καὶ ἀπὸ μετὰ πᾶσαν λύψομαι ἰδμοσύνην.
Δῆλον δὴ ψευδῆς ἡ τοιάδε πρᾶξις. αἰθοτά
Καὶ ἡ ἀρχὴ δὴ καλῆς κείνος εὐλογίης.

HÆBRAICA.

Vide in principio apud Orationem Hæbraicam

LATINA.

Lingua mea meditabitur Iustitiam tuam. Psal. 34.

ODE.

QVó quó volentem prælia me loqui,
Superba quorum Cypris adoreis
Pergit triumphatrix; vel ignes,
Corda quibus metuendus urit
Puer scelesta matre probrosior;
Insitatus quó rapit impetus?
Depræliaturum verendæ
Iura pudicitiæ coercent.
Venusta Amoris syderei Parens,
Intaminatis aurea moribus
Nutrita virtus, Virgo, profert
Auspicio meliore plectrum,
Exæstuantem fræna licentiam
Modere cogis; plus vice simplici
Quid una possis, & rebelles
Edomitę didicere culpæ,
Custode rerum Virgine, non stygis
Obit tyrannus; non furor otia
Iucunda demat cordibus; non
Eumenidum nociturus ardor.
Dyrcæa si me nablia fecerint
Vatem; vel œstrum Stesichori grave;
Nil profit unquam, Musa, præter
Virgineos cecinisse mores.

VERNACVLA.

Linguis loquentur novis. Marc. 19.

MADRIG.

EVvi lingua faconda
Tra be' cigni di Flora,
Ch' all' Etrusca favella
Brami giugnere eccelsi, augusti pregi?
La vé Maria s' adora
Corra supplice ancella:
Qual di Sion infra i Recinti angusti
A roze lingue incolte
Spirtó consolator tempró gli accenti;
Tal un dì fia, che quella
D' aurea facondia aspersa
Per cui 'l Tosco parlare in pregio saglia;
L' Alma del Ciel Regina,
Cui l' Arno i flutti inchina.

RHETORICA.

Aperientur labia mea, ut recta prædicent. Prov. 8.

EPIGR.

SIste, cohors, teneri violata Cupidinis arcu,
Siste Epicuræis, enthea turba, scyphis.
Vera loquar, blandé stimulis urgentia fibras,
Vndé oculis verus perpluat ora dolor.
Quó ruis? his lacrymis, stimulisque haud addita mors est:
Pectora quæ nescit pungere, Suada necat.

DIVINA.

Credita sunt illi eloquia Dei. Rom. 3.

EPIGRAMMA.

PHocidos é luteis nil Pindi epota fluentis,
Prona nec Argolicæ Palladis illecebris;
Pendula sed Superis aures exculta cathedris,
Nazaris eloquij nectar ab ore pluit.
Nil, Lugdunensem quæ non expalluit aram,
Lingua, vel Isæi roris alumna sapit.
Ite cothurnatæ venus, & pigmenta Suadæ,
I vel Nestorea cultior arte lepor.
Scilicet hæc superat Verbo facundior uno
Et Latias veneres, Cecropiosque sales.
Verbum namque Pater fecunda mente locutus,
Nazareæ Matris condidit inde sinu.

HEROICA.

Qui de terra est, de terra loquitur, qui de Celo venit, super omnes est. Io. 3.

EPIGR.

QVid, nisi vile, parit tellus? sordetis Alumni
Telluris; sordent munera, sordet honos.
Nazaris ergó fluit puris quæ copia labris,
Munus ni vestrum est sydera, detur humo?

HVMANA.

Audiat terra verba oris mei. Deuter. 32.

ODE PARÆNETICA.

COElo loquentem credite Virginem,
Favete linguis, promo recondita,
Intaminati dum profanis
Eloquij monumenta terris.

Heu quæ

Heu quæ Suadæ fingit amabiles
Vultus, honorem cyclados induens,
Larvata pellex, & pudendis
Compta iocis anabathra scandit?
Fecunda culpæ Secula non levat
Fucata Siren, non Aretalogus,
Fovetque vulnus, nec medetur
Illecebris phalerata Pitho.
Durum elocuto Vate furentibus
Syris: tumentem comprime pervicax
Frontem Ninive, neu lacessas
Heu! vigiles nimium sagittas.
Auditis? an vos prona licentiæ
Obdurat ętas? Atteret impio
Cum Cive muros, cui reclinant
Aeriæ Babylonis arces.
Iam luctuosis nubibus inficit
Genas honestus cum lacrymis pudor;
Puroque sic Vates coercet
Eloquio caperatus Vrbem.

CIVILIS.

Audi populus meus, & loquar. Ps. 49.

EPIGR.

Ia serenatam ridenti lumine frontem
Come cliens, quamvis palleat ore scelus,
Si te sydereus iudex ciet ante tribunal,
Ipsa tibi præsens ibo Patrona forum.
Cerne cruentato pendens in stipite Numen;
Anne pius fuerit, qui fuit ante reus?

DIDASCALICA.
SEV DECLAMATORIA.

Palam faciet disciplinam doctrina sua. Eccl. 39.

EPIGR.

ORator fieri studes? cathedras,
I præpes, pete Nazaris: Lyceum
His nullum videt elegantiores.
I, nunquam sterilescet hausta sacri
Nimbo fluminis unda; nec fatiscet
Virtus; nec patietur allatrantis
Gannitus critici; nitent, vigentque,
Quæ Virgo docet: ergo ne morere;
Audi Nazarin, audias Suadam.

DEMONSTRATIVA.

Laudabo nomen tuum assidue. Eccl. 51.

HYMNVS.

SYderum Virgo decus o canorum
Barbiton mitis moveas; inermem
Si leves Musam, generosiores
Sedula Olorum
Phocidos Pindi subeat volatus,
Evehar Gangem super, hinc remotas
Transuolem Gades, aditurus & quas
Parrhasis oras
Vestit hybernæ nivis, & tepentem
Regna quæ Solem patiuntur agris;
Mox canam blandum Mariæ iocoso
Carmine Nomen;
Quod stygis torvum cohibet tyrannum;
Cui truces cedunt Aquilonis ictus;
Quod reformidat rabies Maleæ, &
Iurgia Scyllę.
Astra festivos meliore vultu
Pectinis plausus comitentur; astra
Dulce ridenti faveant Camænæ,
Dulce loquenti.

DELIBERATIVA.

Statui custodire iudicia iustitia tuæ. Ps. 118.

ODE.

COrda tuis adolenda sacris, pia Mater, ad aram
En tibi devoveo.
Hoc dolet, hoc animo fixum sedet, unde medullas
Tristior aura vorat;
Hactenus hydropem quod scilicet improba Siren
Luserit illecebris.
O utinam ne fœda lues violasset amores;
Prepedisset iter
Parca meum, & validas torsisset avara sagittas,
Quæ mihi munus erant!
Non equidem turpes sugillaremur ab astris
Criminis invidia,
Ite theatralis genialia gaudia risus,
Quæ brevis ora rapit;
Sat miserum vana lusistis imagine; sat cor
Detinuere iocis
Cantica Niliacis, immistaque Gaditanis,
Purior urit amor,
Nazareæ memet Matris facturus amantem,
Ergo age Dia Parens
Excipe cor; gnati ne despice vota precantis,
Quæ facit umbra reum,
Displicet? ah! castum, modò me tueare, pudico
Lumine

Lumine, Virgo creas.

IVDICIALIS.

Defendit illos. Iudith. 5.

EPIGR.

AH properat! properat non eluctabile tempus!
Vltima quo vitæ stamina Parca secet.
Mortem non timeo: dulce est perijsse; minetur
Ni caput Ætherei Iudicis ira reum.
Stabimus, o miseri!, cum Numinis ante tribunal;
Causa patrocinij qua potiatur ope?
Funera sola levet Virgo: qui claudere matis
Lumina, Patrona Virgine; vive cliens.

PHONASCETICA.

Vox tua dulcis. Cant. 2.

EPIGR.

SPernat Athenarum Dea Præses, adorea Patrem
Quem Lugdunenses postulet ad cathedras.
Nec Cicerona sonet magnam Mavortis ad Vrbem;
Si semel erumpat Nazaris ore latex.
Si potuit cautes diducere montibus Orpheus,
Nazaris è Cœlo devocat usque Deum.

CHIRONOMIA.

In sermone eius composita sunt omnia. Eccl. 43.

EPIGR.

ITe, peroratam quibus obdunt iurgia laurum,
Vel crebró quorum pulpita calce crepant.
Deficiunt aures, ni mota crepundia mulcent;
Et fluit ambrosijs mellea vena labris.
Sic oratricem sic Nazareth Heroinam
Credimus æthereum detinuisse Iovem.

POETICA.

Exultemus in carminibus suis. Par. 16.

Ad cunas ortæ Virginis.

NÆNIOLA.

VIrgo, redemptrix
Aurea risus,
Nubila cordis,
Nubila vultus
Tu pia, casto
Quæ nitet ore,
Luce serenas.
Nazari blando
Pectinis œstro
En tua proles
En, bona Mater,
Promere gestit
Sedula plausus,
Quos vibret astris
Lęta verendos.
Par cęcinisse est:
Çoge morantem
Virgo Camænam.

RHYTHMOLOGIA.

Te decet hymnus. Psal. 64.

STROPHE.

MOtus Camęna civicos,
Furore quorum Tybridis
Expalluere Naiades,
Redordiatur ad chelyn.
Cantet Latini sanguinis
Campos super, vel impęrj
Fines super Neptunij
Quales calente viderit
Rore ęstuasse rivulos:
At nervus impulsus salit,
Cantuque reddit Nazarin.

ANTISTROPHE.

Dicenda si nepotibus,
Quæ bella Cæsar Thessalis
Præcinctus ora frondibus
Gessit timendus Africæ:
Drusive palmas carminis
Sublimioris ambitu
Venustior, suavior
Astris verendas inseri
Gregi laboret Numinum;
Impulsa chorda subsilit,
Cantuque reddit Nazarin.

EPODVS.

Mavortis ergo laurinis
Venusta sertis præmia
Valete; cæde pullulat
Quæ palma floret nobilis.
Valete laudes; Cæsarum
Valete pompę; sydecum
Io Monarchis occupat
Chelyn: sit illa plausibus,
Fit illa meta carmini.
Nam chorda pulsa subsilit,
Cantuque reddit Nazarin.

MELOPOEIA

MELOPOEIA.

Immisit in os meum canticum novum. Ps. 39.

DIST.

NE mirere; novas si nuda Poesis in artes
Exilit; est Virgo, Musa quod ante fuit.

EPOPOEIA.

Audite me Magnates. Eccl. 55.

CARMEN.

VOs, quibus extimulat Clariæ præcordia laudis
Dius amor, fibras alienaque gloria carpit,
Huc agite, heroas quisquis Nasareidos artes
Æmulus in terris imitabitur Heroinæ;
Huic melica ad numeros migrabit in atria Clio,
Plurima & emeritam decorabit adorea frontem.
Discite virtutem ex illa, verosque labores,
Materiem & laudum tacitis aptate Camœnis.
Secula si Æacidas pariant, non deerit Homerus.

LYRICA.

VEL DITHYRAMBICA.

Eructabunt labia mea hymnum. Psal. 118.

SYLVA.

ADsis o Superum Regnatrix æqua Quiritum,
Pulchrior astris, Sole micantior,
Filia lucis, Sponsa Tonantis,
Adsis o Virgo, ad cytharam rapit ardor Amoris,
En resides dudum nervi excutiuntur, & ultrò
Pectinis arbitrium
Ferre student.
Agé Mater tibi plausus lyra solvit;
Ne fuge plausus o bona Mater.
Purpureis, Virgo, mellea vena labris
Hippocrenæis fontibus hausta fluet.
O Amor! Amor!
Qui rogis Amor
Vris medullas, & flagrantior cies
Ardoris impetu
Ad cantum fibras;
Ah! parce, flammis enecas vocem tuis.
Ergo, Parens, rigido ne lumine corripe Musam,
Si taceat; flammis heu! quis non cedat Amoris?
Soluta tandem vinculis
Venustiores edat ad lyram cantus.

COMICA.

Convertisti planctum meum in gaudium mihi Psal. 29.

EPIGR.

CEssere questus, cessit & luctus, Parens,
Qui nuper ora nube velarat gravi:
Io recessit; alacris & risus vices
Subijt serenas. O procellarum pater,
Metusque, victus occubas tandem, dolor.
Morere; nec ultra turbidus regnes fibris.
Potest iubere Nazaris; morere; iubet.

TRAGICA.

Extrema gaudij luctus occupat. Prov. 14.

Terrenarum Voluptatum

CATASTROPHE.

HVmana proles, Nazaris iubet, iocis
Indulge, amœnus si parit candor iocos,
Nocet voluptas quæ rosas, & amystidas,
Gravesque mensis cantharos ornat mero,
Oblita quidquid iusserit Rector Poli.
Fulsere quondam candidi Soles tibi
Epicure, sparsas floreo dapes tuæ
Luxu parabat mensa vectigal gulæ,
Centum nepotes, & nepotini gregis
Centum alij alumni, delicatior cohors;
Te purpuratum perstrepebant ad Ducem.
Pars vina dulci temperabat nectare;
Pars ferculorum nobilem augebat famem
Balanoque, cinnamoque, & Arabum flosculis,
Pars Dindymenes cymbalis, pars nablijs
Io canebat; candidi soles tibi
Fulsere, sed breves; quid heu! Tragediam
Explere proprio cogeris casu miser?
Acherusianos inter inquies vepres,
Abominaris marcidas serò rosas,
Voluptuosum sequitur hæc merces caput.
Humana proles disce, quos vites, iocos.

HISTORICA.

Narrabo omnia mirabilia tua. Ps. 9.

EPIGR.

ILla ego quæ seris, lentisque nepotibus edo,
Grande rudimentum, fortia facta patrum:
Quæque vetustatis vindex, & filia veri;
Quæ portenta paris, Virgo, sub astra feram.
Acubi Cumæas exhauserit annus arenas;
Tum puto

Tum puto florentes videris ire dios.

GEOGRAPHIA.

Ecce omnis terra coram te est. Gen. 13.

EPIGR.

QVantus io sacras, pia Nazari, plausus ad aras
 Aurora Hesperium perstrepit usque sinum!
O tactum belle! quem muta silentia frænant,
 Aut scopulo, aut rigido durior ære riget.

CHRONICA.

Memoria mea in generationes sæculorum. Eccl. 24.

EPIGR.

EX quo puniceum campis ver proterit æstas;
 Autumni è tumulo bruma recurrit iners:
Ex quo decerptos sese flevere Parentes;
 Ex quo Noæam substulit unda ratem;
Me præsaga Patrum cecinere oracula: liuor
 I nunc, & nostrum dilue noctis iubar.

GENEALOGIA.

Generationem eius quis enarrabit? Isa. 53.

EPIGR.

NAzareæ illustres proavos, atavosque Parentis
 Ne quæras: generis quid levis aura ferat?
Pergite qui vanas fumoso stemmate ceras
 Tollitis, ambesæ nobilitatis opes.
Vos patrum, vestra soboles é lampade fumum
 Attrahit: ex gnati lumine Virgo nitet.

ANNALES.

Anni tui non deficient. Ps. 101.

EPIGR.

VIve diù felix virtutis Amasia: nomen
 Nestoreas ultrà migret Olympiadas.
Virtutem nunquam carpunt oblivia: Virtus
 Ferre parentales non timet una rogos.
Vita togatorum licét exigat aurea plausus;
 Quæ post fata venit, gloria maior erit.

EPHEMERIDES.

Reddam vota mea de die in diem. Ps. 60.

EPISTOLA.

HInc ubi Partenope millenis obsita philtris
 Spargit ubique suas non sine fraude rosas;
Vade per aerios præpes, mea pagina, tractus,
 Pagina sydereas usque aditura fores.
Servat ibi illustres Genitrix Nazarea Penates,
 Reginamque suam sydera prona vident.
I celer; obstantes nimborum sperne procellas,
 Nectentemque moras littera sperne Notum.
Quamvereor tardent Vrsique, Lupique, Leonesque,
 Et quidquid monstri Regia Solis habet!
Ne fuge; sunt ęgræ mentis deliria: Cœlum
 Armarat rigidis fabula Graia feris.
Quæcunque occurrant, audentior ito per auras;
 Sic qui me cogit scribere, suadet Amor.
Post ubi sublimem felix penetraveris ædem,
 Deiecto ad terram lumine, nixa genu,
Oranti similis maternum Numen adora,
 Et pete, adorato Numine, Matris opem.
Vade; licet minimé poliantur pumice frontes,
 Cedrove, aut minio cornua picta geras;
Illa serenato te perleget ore, sinuque
 Excipiet, vel si vilior ipsa fores.
Maternum phaleræ minimé venantur amorem:
 In genitrice fugit plasmata verus amor.
Ipse aditurus eram; ni quod sublimia terrent;
 Quæ gravat ah! nimium sarcina pondus habet.
Vt cuperem tergo, quas Dędalus induit, alas;
 Sive tuas, Perseu, nunc habuisse velim.
Matris amor trahit huc; Superum trahit inde tenustas;
 Quæque venenato gaudia felle carent.
Vivo peregrinis mestissimus exul in oris.
 Sævus ubi fraudes hostis utrinque parat.
At quid plura moror? sint hæ tibi pagina partes;
 Fida ministerio ni caruisse velis.
Quidquid agam, rogitet si Virgo, modestior aude
 Et dic; in lacrymis otia dura trahit.
Stygmata quæ cernis, sordesque in fronte doloris
 Argumenta putes, qui rigat imbre genas.
Respice plorantem, Genitrix pia, respice gnatum
 Tristem ni releves, vivere posse negat.
Titan seu redeat pulsis formosior umbris;
 Seu tegat Hesperiæ Tethyos amne comas;
Sola in vota cadis pulcherrima Nazari; tuque es,
 Quæ castis torres ignibus una fibras.
Fortunata dies, ipsisque micantior astris;
 Ni surda gnati respuis aure preces.

HOMOGENEA.

Rem peto unam. 2. Reg. 3.

DIST.

VNica Virginei curę est monimenta nitoris
Inspicere: an maculas conferet iste nitor?

HETEROGENEA.

In multitudine disciplinæ. Eccli. 33.

EPIGR.

QVid facit ad pluteos veterum impallescere chartis,
Carpere vel quidquid scrinia frugis habent?
Erudiere satis, si te docet vrna, priorum
Ergesta, & nomen, quæ fouet vna, dabit.

EPITOMICA.

Vel Commentarium, siue Synoptica.

Breviter audias nos pro tua clementia. Act. 24.

EPIGR.

ORdiar annales, tulimus quos, Virgo dolorum?
Heu cadat Hesperio plurimus amne dies!
Ilias est; quid plura loquar? fit ea ęrumnarum?
Summa: reo nati de patre damna luunt.

DIEXODICA.

Tu cognovisti omnia novissima, & antiqua. Psal. 138.

EPIGR.

EDita vix primo vitai limine, patrum,
Nazari, te tristes non latuere vices.
Deb[illegible]eras & nosse recens quod protulit ætas.
Scilicet es cunctis febribus vna salus.

POLYMATHIA.

Circumdata varietatibus. Psal. 44.

EPIGR.

NAzaris undatum Pithus haud indiga vena est:
Ingenium quales fertile prodit opes!
Magna quidem bibula pręcepimus aure; sed intus
Vberiora, potis quę dare, Virgo fovet.

SACRA.

Loquimur non in doctis humanæ sapientiæ verbis, sed in doctrina Spiritus. 1. Cor. 3.

EPIGR.

NOn ea surripimus blattis, quibus annuat auris;
At fęcunda animos, quę monumenta iuvent.
Hæc siquidem virtus, prima & sapientia: nectar
Spernere, quo subeunt mista venena fibras.

PROPHANA.

Non est ista sapientia desursum descendens, sed terrena. Iaco. 3.

EPIGR.

NOsse Poetarum memores quos fabula fastos
Digerit; hoc artis, non pietatis opus.
Perlege, mi puber, quæ lecta poemata prosint:
Quandoque & Pindi mellea vena necat.

APODEMICA.

Peregrini sumus coram te, & advenę. 1. Paralip. 29.

EPIGR.

VIvimus externis gnati, pia Mater, in oris;
Et crudele pati cogimur exilium.
Interea Superum Regina potiris Olympo;
Purpureumque rigas nectare Sponsa labrum.
Ah! genitrix tua turba sumus; tueare quot hostes
Assideant; & quæ noctis imago premat.
Caligant oculi, natant uestigia; quæ ni
Luce regis; cæcum quó ruat umbra pedem?

CRITICA.

Sapientię dux est, & sapientium emendatrix. Sap. 7.

SATYRA.

QVid prodire times? qui sit mea Musa quod hęres?
Vnde pavor? stupor unde cadit? formido nocentem
Arguit; aut miseré cunctis deprehenderis excors.
Nonne, inquis, timuisse iuvat? sunt qui nimis uncis
Naribus indulgent, dum largo splene cachinnos
Expromit, Musasque leves censura flagellat.
Rideo: nec faciunt hæc vana pericula pigrum.

Præcepi

Præcepi qualis pulmo cachoete laboret.
Inuidiæ plures agitat vesania, quorum
Ingenium grauiùs laudata poemata torquent;
Sunt alij, laqueo quos detinet ambitiosi
Consuetudo mali, gannitu nomen adoptant
Vatis: nec tollas morbum, veratra medullas
Ni purgent: adeò placet empta hac lance Poesis.
O miseras hominum mentes exclamet Alumnus
Auruncæ in stomacho, vel castigator Aquinas.
Difficile est nares non corrugare: Magister
Nec valeat Samius labrum cohibere lupatis.
Anne ego, ait Labeo, te te Cluviene verebor
Lambentem nostras genuino dente Camænas?
Rodere quid prosit limam? quod leniat unguen
Latrantem stomachum nostra ne quære taberna.
Quem nescire putas quo stes libramine? non dum
Labra Caballina tinxisti Phocide; nondum
Formasti recto validus vestigia gressu
Et meruisse velis laurus? & dicier optas?
Hic est Pegaseos qui non expalluit haustus!
Quem sacris Pindi latebris aluere Sorores!
Archilochi hinc rabies in prelia trudit; arenam
Palladis ut steteris contrà, licèt impare nisu
Sumis Aristarchus, vel qualia Mevius olim
Sumpsit in ingenuos, quæ promeret, arma Poetas.
O felix! cuius Musas solertia Matris
Nazareę haud rigidi deterret imagine vultus.
Effugias tel. quos nimium quæ stygmata lędunt.

ALCHIMIA.

Vigilia sua perficiet opus. Eccl. 38.

EPIGR.

QVi lentis cura vigili fornacibus aurum
Elicis ad flammas ingeniose Cyclops;
Ne ubi flauenti placeas scobe inaniter Hermes,
Nazareę fabricant si potiora manus;
O metamorphoses! putri catus illinis aurum
Tu glebę; hęc opifex aurea corda facit.

CHABBALA.

Nimis profundę factæ sunt cogitationes tuę. Psal. 91.

EPIGR.

QVis neget Isacidum secreta oracula vatum?
Quę plus quam Pythio Numine sparsa putem.
Et tamen hęc animo vestigas Nazari. Solem
Quę tulit ęternum hoc lumine digna frui.

MAGNETOGRAPHIA.

Placuerunt servis tuis lapides eius, & terrę eius miserebuntur. Psal. 101.

EPIGR.

VIrgo, Palestini quæ te plaga prodidit Orbis;
Vt gnatorum animos deliciosa trahit!
Diues Hydaspeis quę fulgurat ora lapillis,
Grata minus, quam quæ Nazarin ora tulit.
Credo ibi qui lapides circum sternuntur in agris,
Nil silicis, multum pectore mellis habent.

PYROTECNIA.

VEL PYRONOMIA.

De ore eius lampades procedunt, sicut tedę ignis accensæ. Iob. 4.

EPIGR.

QValiter Ætnęis excussa fauilla caminis
Sicanios circum depopulatur agros;
Dum loquitur, sic Virgo fibris incendia confert;
Serpentemque luem pectore flamma vorat.
O sępe o nostram tua vox circumtonet aurem;
Auguror: eliciat candor ab igne nives.

GNOMOLOGIA.

Non audebunt contemnere omnes, qui videntur sibi sapientes. Iob. 37.

DIST.

TVm puto mortalis sapiet solertia; Virgo,
Quando ignara tuis pendeat é cathedris.

ÆNIGMATOGRAPHIA.

Ænigmata percipite auribus vestris. Iob. 13.

ÆNIG. EPIGR.

QVotquot theatro adestis, OEdipi, mentem
Valentiores euehat vigor lucis.
Non illigatum ęnigma fraudibus Sphingis
Fert extricandum Amoris indoles: solers
Amor est, & artes, quas licet, catus nouit.
Fauete linguis hilaris en Amor prodit.
Qua parte Cęli, ita ille, Mater, & Sponsa,
Et Nata peperit, qui prior tulerat, Patrem?

PARADOXOLOGIA.

Attendite me, & obstupescite, & superponite digitum ori vestro. Iob. 21.

EPIGR.

ALcinoi quos scena iuvat mollissima; quos vel
Parta Terapnæis Nympha profanat agris;
His animvm dictis aduertite. Foeda voluptas
Haud seró miseras liquitur in lacrymas,
Sperne iocos malé cauta cohors, fere prodiga luctus;
Deliciarum hoc ex flumine adulta seges.

DIPHOSOPHISTICA.

Super mensam magnam sedisti? Non aperias super illam faucem tuam prior. Eccli. 31.

EPIGR.

SIquando lautus conviva in Apolline cenes,
Et placeant sobrijs seria mista iocis;
An prior assurgas, comitem tueare senectam;
Ne censura tonet Stoica, disce loqui.

ARITHMOLOGIA.

Es eis quasi carmen musicum, quod suavi, dulcique sono canitur, & audiunt verba tua. Ezec. 33.

EPIGR.

GNatorum te prona cohors te, Mater, adorat,
Atque adolet sacris thurea dona focis.
Inde (velut superis Choralistria grata theatris
Erudiat dulces flectere voce sonos;)
Occinit arcano dederis quas munere leges,
Queis liceat certas legibus ire vias.
O utinam nostras ea musica circinet aures!
Tum puto Arionius fit gravis usque lepor.

PARTEMIOGRAPHIA.

Occulta proverbiorum exquiret. Eccli. 39.

EPIGR.

GRande opus, Heroum fari preconia; Musas
Postulat heroi pectinis iste labor.
Nazareæ cogar cum prodere Matris honores,
Nec sperem neruis hiscere posse meis,
Evolvet Clio Sapientum oracula Patrum.
Lingua non poteram nobiliore loqui.

HIEROGLIPHICA.

In absconditis parabolarum conversabitur. Eccli. 39.

ELEG.

QVæ nova Pyramidū mysteria Memphis adorat,
Quis procul a patrijs non stupet hospes agris?
Ardua sublimes sapientia prodidit artes;
Gaudet & arcanis implicuisse notis.
OEdipodas poscunt isthæc oracula: demas
Solertes animos, schemata nemo capit.
Quó primúm Argolicis industria repsit arenis;
Admirabundam credimus isse Deam.
Obstupuere senes animo, stupuere nepotes;
Miratique sophos qua decet arte loqui.
Pallida quæ proprio immoriens Rosa defluit ostro,
Edocet alatę gaudia iuncta neci.
Quæ sceptro, Pupilla vigil supereminet; Orbem
Pervigili Numen corde tuetur, ait.
Nosse studes Regum plebemque, togasque verentes
Imperium? voto Pyramis obdit Apem.
Ne cunctos terrere putes miracula: quamvis
Hæc secreta, tamen Nazaris illa videt.
Anne stupes? toties istas transfertur ad artes,
Affatur quoties dædala Sponsa Deum.
Quam teneras varia clausit sub imagine voces!
Quas metamorphoses ludere visus Amor!
Dic age, si videas surgentem Cedron in auras;
Quis scit an hæc Cedrus Virginis ora notet?

POLYANTHEA.

Memoriam fecit mirabilium suorum. Ps. 110.

MADRIGALE.

QVal in riva al bell'Arno
Suol novella Licori
Posar l'eburneo fianco in grembo a' fiori,
E a' piú gentil tra loro
Stender la Nobil destra,
Per tesserne ghirlanda al suo crin d'oro;
Tal de gran pregi tuoi,
Vergine bella, al numeroso stuolo
Clio volge il ciglio, e poi
Sceglie i piú degni, ed all'usato incarco
Richiamando la cetra,
Gli espon qual segno al saettar dell'arco.

MYTHOLOGIA.

Non indoctas fabulas secuti. 2. Petr. 1.

EPIGR.

SPreverit illecebras, qvibus ebria somnia Vatum
Luserunt; siquem Nazaris ora tenent.
Quæ placuere diu, vilescunt protinus artes;
Et celer ad nihilum, quod fuit umbra, redit.

CYCLOGNOMONICA.

Cum filijs vestris disceptabo. Ierem. 2.

EPIGR.

HÆreseon patres, vitiosa propago, nepotum
Funerea mentes spargere nocte iuvat?
Anne animis cæcum, quo sævit echidna, furorem
Prælia moturis inseruisse placet?
Eia agito excitis flammas superaddite flammis;
Quæ cadet ex victis, opprimet vnda faces.

POLYGRAPHIA.

Non potuerunt nec scripturam legere, nec interpretationem indicare. Dani. 5.

SOMNIUM.

FOrtè Caballinæ dulces prope Phocidos undam
Carpebam somnos, quos levis aura dabat:
Cum mihi Cæsareo visus sedisse theatro,
Quo implebat cuneos turba togata Patrum.
Attonitus dum lustro oculis quos scena pararet
Plausus; en scenam visus obire puer.
Hic prægrande manu gestabat utraque volumen,
Cuius abruptis pagina sparsa notis,
Quis Lacedæmoniam scytalen ea segmina credat;
Ni sit avorum alius proditus arte labor.
Cuncti oculos acuunt, iterumq; iterumq; recurrunt;
Clandestina tamen symbola nemo tenet.
Orchestram interea capitis Matrona verendi
Occupat, & blando lumine visa loqui.
Discite quæ lateant istis oracula formis;
Scire ea qui possit, non timet inde necem.
Ipse quoque audissem; ni quód Permessidos Augur
Laxatum plectro pulsat Apollo latus:
Scenaque momento tenues effluxit in auras;
Quo discusso abijt lumine rapta quies.

ANALYTICA.

Annuntiabo tibi quid expressum est in scriptura veritatis. Dan. 10.

EPIGR.

QVi sacris venerande pugil pallescere chartis
Gaudes, arcanis ut potiare notis;
Parce, fatigatæ menti labor unica merces:
Parce parúm tuta est, quæ via sternit iter.
Ni Labyrinthæis his flexibus aurea lucem
Ventilo, mi Theseu, decipit umbra fugam.

MELETETICA.

Meditabor in omnibus operibus tuis. Ps. 118.

MADRIG.

OGgi che in lieti accenti
Armoniosa turba alto risuona,
Qual porgerá corona
A te gran Madre arco negletto, e vile?
Non fia che cetra umile
Osi su' vanti tuoi poggiar sublime
Cosi temerarie rime.
Lungi dal volgo insano
In rupe erma, e romita
Sento che 'l cor m' invita
A contemplare in te prodigj immensi.
Ne fia 'l consiglio vano;
Sará tosto del cuor seguace il piede.
Tu in solitaria scuola
Mi svelerai gli arcani,
Per cui di tue virtú io venga erede:
Se tale aurá vittoria;
Di terreno sapere odio la gloria.

DIORISTICA.

Apposui cor meum, ut scirem sapientiam, & intelligerem distinctionem. Eccli. 8.

EPIGR.

QVæ terit humanum Antistes malé fida theatrum
Ah! nimis insano syrmate forma timet.
O Virgo, o norim quam ferro discreper aurum!
Munde vale; illecebris providus imposui.

SYZE-

SYZETETICA. VEL SYMBIBASTICA.

Congruum colloquium fecerunt. 2. Mach. 14.

EPIGR.

QVot, Vaticani radiantia sydera Cœli,
Nazarin ad cathedras excoluere Patres!
Obtulit innumeras animi solertia palmas;
Et tamen ad laudum pignora nemo satis.
Nesciat Argolicę virtus, Latiæque Mineruæ
An plus meruerit laudis, an obtulerit.

SYMBVLEVTICA.

Delibera, & vide quid respondeam. 2. Reg. 24.

EPIGR.

GNate peris! trahit inde rosis via dives apricis;
Sentibus hinc fartum pes timet ire iugum.
Ah! prius occidui quæ sint solamina floris
Consule; quæque animis gaudia spina parit.
Consule me; mollis fuge quæ cantamina Siren
Auribus instillat; sic puto spina placet.

PHYSICA SACRA.

Ab infantia sacras literas nosti. 2. Tim. 3.

EPIGR.

PRima ætate sacris placuit pallescere chartis,
Stant quibus Isacidum provida sensa Patrum.
Nazari, quam felix solertia! Palladis undas,
Quas trahimus cæcas, tu sine fæce bibis.

THEOSOPHIA.

Plus quam Salomon hic, Lucæ 11.

DIST.

QVæ docuit Salomon, Sapientum Cæsar avorum,
Nazaris obtutu vix leve pondus habent.

MIMETICA.

Imitatores mei estote sicut & ego Christi. 1. Cor. 11

SCHOLYON.

AVditis? astra flammeis linguis cient,
Sydereisque choris
Velint amicos inferi.
Quid heu! veternus obdidit repagulum;
Illecebrisque pedem
Cunctatur innectens moras?
Torpetis? ah! corrumpitur cordis vigor;
Quæque sedent capiti
Haud sero marcescent rosæ.
Petamus astra præpetes: hic insulæ,
Quas levis aura subit,
Florent, vigentque divites.
At ire ad astra non datur molli via!
Territat arduitas?
Salebræque, tribulique, & vepres?
Hac hac eundum Adamidum genus; velut
Delicijs inhians
Per obsitum dumis iugum
Olim sequebar Sponsum amoris igneis
Percita cor iaculis:
Præibo; sic sequamini
Gnati Parentem; melleus sudantibus
Proluet ora latex;
Dabitque vepretum rosas,
Quas nec December calcitret; nec fervidus
Ebibat igne Leo.
Acerba fata non timent.

BIOGRAPHIA.

Servite ei, & vivetis. Ierem. 27.

Chorus Virginum.

THYASVS.

ROseis crinem nectite vinclis,
Niveisque rosas spargite lilijs.
Malé sit filtris; dicite puberes,
Malé sit tedis, quas movet improbus
Telluris amor; malé Syrenibus
Cantu quæ miserum illaqueant cor:
Et tibi malé sit pessima Circe.
Bene sit Sponsæ Libani; Superum
Regina potens; candida Nutrix
Virtutum; bona Mater Amorum est,
Qui lustrant cor sydereis rogis.
Perge iuventus, si sapis, expedi
Deliciarum laqueis verticem;
Virginis utere, dum licet, utere
Lege; suave est servitij iugum.
Malé sit pompis; malé sit ludis,
Quos brevis hilari scena theatro
Paritura necem promit; amena
Latitat mors sub fronte, dolique.
Virginis utere, dum licet, utere
Lege; suave est servitij iugum.

EVTHANASIA.

Iustitia liberabit a morte. Prov. 10.

EPIGR.

SPerne theatralis fugientia gaudia risus;
Mi puer, & luctus elue rore genas.
Migrat honos; migratis opes; migratis amores.
Cum sis deciduus tu quoque disce mori.
Ætas quid prosit? pueroque, seniq; migrandum est.
Flectitur ad nullas mors inimica preces.
Sola iuvat Probitas manes: in funere vitam
Invenere, puer, qui didicere mori.

PATHOLOGIA.

Vt sciat unusquisque vestrum vas suum possidere in sanctificatione, & honore, non in passione desiderij. 1. Thessal. 4.

MADRIGALE.

NOn ha pace quaggiú l' uom' peregrino,
Cui diverso desire
Tragge ratto a fornire,
Se temprato non sia;
Imbraccio a' eterno duolo il suo cammino.
Scaltro dunque se freni,
Pria che n' assaglia 'l core,
Quella d' affetti rei forza, ch' ancide;
Egli avverrá che meni
Tranquillissime l' ore,
Veggendo assai meglior di quei, che vide
Scorrer la bella etá, giorni sereni.

GYMNASTICA.

Sanitates perficio. Lucæ 13.

DIST.

ENervant molles, affectatique sopores:
Firmior ex æquo parta labore salus.

ZOOPEDIA.

Vade ad formicam, o piger, & considera vias eius, & disce sapientiam. Prov. 6.

ELEG.

VIderat ad Myrtum florenti ætate puellum
Nazaris herboso procubuisse toro.
Mirata est celeres fallentem turpiter horas;
Fingentemque sibi tardius ire dies.
Sicciné, ait Virgo, properas moriturus ad urnam?
Sicciné, quæ urgulent, otia vana trahis?
Ah! puer Assyrio fuge sordida gaudia luxu:
Quæ datur, immensum fœnerat hora lucrum.
Quid? non matura nece si deprehenderis: alter
Occupet heu! vastas quas male perdis opes.
Solibus utendum, quos fata dedere: benignæ
Non remeant sortes, quo periere semel.
Terra Cleonæo dum fervet sydere, campis
Formicam videas ferre, referre pedem.
Tantillas, o mirum!, animas non territat æstus;
Nullave, quæ durum sarcina pondus habet.
Scilicet hybernæ noceant ieiunia Lunæ,
Ni comportata messe perempta fames.
Ergo, puer, tenerum quem turpis inertia lactat,
Surge ad opus, quando bruta vel ipsa monent.

CHARIENTILOGIA.

Iudicia tua iucunda. Psal. 118.

EPIGR.

TV quoq; Virgineis, pia Sponsa, leporibus ausa es
Ludere sæpe, placent qui sine fraude, sales,
Lude Parens; sobrijsque iocis solare dolentem
Gnatum; mœrorum tristior aura nocet.
Lude Parens, tua turba sumus, blandire: dolores
Blandimenta necant dulcibus alloquijs.

STRATAGEMMATOGRAPHIA.

Apprehendit sapientes in astutia eorum, & consilium pravorum dissipat. Iob. 5.

EPIGR.

QVos sibi mortalis Sapientia concipit astus;
Quos sibi calliditas; fallere Virgo potest.
Deprehendisse placet; tantúm molimina, prudens
Quæ struit; auctorem subdola vota necant.
Ergo reformidat qui Iudicis ora Parentis,
In se uum servet fraudibus ingenium.

DIALECTICA.

Intellectum dat parvulis. Psal. 110.

EPIGR.

COmptula solertum, mellitaq; turba parentum,
Cui modó vix Tyrio flumine vena pluit;
I, pete Nazaream, iuvat hæc cultura, Minervam;
Edocet, hæc infans quo potis ore loqui.
Mentem acuit: niveos Præceptrix integra mores
Tutatur: Venerem hæc Pallas inerma domat.

MVSICA.

Cantabimus, & psallemus virtutes tuas. Psal. 20.

STROPHE.

VIrgo serena gratior Iride
Risu querelas candida temperas;
Cæcisque mentes nubibus expedis
Phœbi corusca luce beatior.
Sacris remisto carmine nablijs
Canemus altæ proditor indolis
Portenta candor quæ tulit. Alito
Bené ominato dicite Virgines,
Io canemus, dicite Nazarin.

ANTISTROPHE.

Virgo æstuosis aurea febribus
Salutis lavamen quæ Podalirij
Arcet, medullis tu saniem coquis,
Viresque donas cordibus integras.
Sacris remisto carmine nablijs
Canemus altæ proditor indolis
Portenta candor quæ tulit. Alito
Bené ominato dicite Virgines,
Io canemus, dicite Nazarin.

EPODVS.

Virgo sagacis filia consilij:
Astreæ amatrix; nescia conteri
Fatis; severæ gaudia negligens
Quæ non coercent fræna Modestiæ.
Sacris remisto carmine nablijs
Canemus altæ proditor indolis
Portenta candor quæ tulit. Alite
Bené ominato dicite Virgines,
Io canemus, dicite Nazarin.

ARITHMETICA.

Cunctos gressus meos dinumerat. Iob 31.

EPIGR.

QVo mis effrenat pes impete? parce venustos
Ire voluptatis parce frequenter agros.
Quot figis, Virgo numerat vestigia: preceps
Ne male disperéas, par obijsse iocis.

GEOMETRIA.

Habebat mensuram arundineam auream, ut metiretur Civitatem. Apoc. 21.

DIST.

COmpita sidereæ metita est Virgo Sionis,
Huc propera, nullus deerit in urbe locus.

ASTROLOGIA.

Præsagium futurorum. Genes. 41.

EPIGR.

Astra serenato si pandant lumine vultum,
Quæ ambrosias clarant Virginis astra comas;
Plaude genus mortale; favent ea sydera votis;
Æternumque trahunt, quem velis, illa diem.

MECHANOLOGIA.

Quis horum, quæ sunt, magis quam illa, est artifex. Sap. 8.

DIST.

ARtifices, quoscumque stupes, solertia vincit
Nazaris: exiguum hoc ars ubi victa iacet.

AGRICVLTVRA. VEL GEORGICA.

Egrediamur in agrum, commoremur in villis Mane surgamus ad vineas, videamus si floruit vinea, si flores fructus parturiunt, si floruerunt mala punica. Cant. 7.

DITHYR.

SVrge Sponsa, surge amæna
Per Saturis arva gressus
Incitante fige Sponso.
Surge amica par amore;
Corde par amica surge:
Sat strepentis plausus Vrbis sat the atra inverint.
Dulciores rura fetus
Nixu procreant opimo;
Otiosis ni veterno
Vinitor dormitet agris.
Surge eamus; & feraci
Vinearum leta cultu uterque servet iugera.
Prosit arborum tumentem

Nosse

Nosse gemmulis virorem,
Arcuisse quidquid obsit
Sit necesse, Sponsa: solers
Cultor agros qui tuetur,
Inde flores, inde frondes, inde poma colligat.

VENATORIA.

Capite nobis vulpes parvulas, quæ demoliuntur vineas, nam vinea nostra floruit. Cant. 2.

ECLOGA DAPHNIS.

AD vitreas olim Tyberinæ Doridos undas,
Qua turritus Apex conuexa maritat Olympo,
Arcadicum Daphnis sociabat arundine carmen.
Crescite, dicebat, mea gaudia, crescite frondes,
Et teretes gravido suspendite palmite gemmas:
Inuida quandoquidem disrumpitur ilia Mopsus,
Mopsus ionostri populator barbarus arui.
Cœperat ogygio pubescere vinea fœtu,
Cum mature dolis, licet allatrante Melampo,
Invisum mihi, Mopse, gregem inter frondea culta,
Subdolus immittens, tu post viburna latebas,
Siccine nectaream iam luxuriantis agelli
Attondes impune teret vulpecula messem?
Anne vides nostris præsens Diana frutetis,
Pensilis vt pereat trepidantibus vva racemis?
Annua siqua tuas unquam cerva imbuit aras,
Proijce tela manu, vulgusque expelle nocentum,
Flebile sic qverimus, nec lamentabile murmur
Aspernata gregem geminis Latonia telis
Sustulit, & trepidum solvit formidine pectus,
Ergo agite incolumes, mea gaudia, crescite frondes,
Et teretes gravido suspendite palmite gemmas,
Ille meus iam terror abest, nil tristia Cęli
Exitiale parant viridantibus omina campis,
Numine quos vigili Superum custodia seruat.

POLEMICA.
VEL MILARIS.

Confringet arma, & scuta comburet igni. Psal. 45.

EPIGR.

TYbri pater, sacri veneranda Palatia clivi,
Et roseas prono qui colis amne togas;
Siqua tonet circum belli furialis Enyo,
Non metue hostili vulnera parta grege.
Astrorum Regina potens tutatur honores,
Quos Vaticana videris arce frvi.
Illa triumphati vexilla superba furoris,
Illa hostem, illa enses comprimet, illa minas.
Aspice: lunatus quæ moverat arma tyrannus,
Immenso Thracum funere fracta iacent.
Prisca fides taceat: Nasareidos Heroinæ
Plura semel forti vidimus acta manu.

NAVTICA.

Dedisti in mari viam, & super fluctus semitam firmissimam. Sap. 14.

IONICUM A MINORI.

RAdiantis Nasareium iubar Aulæ,
Age Virgo, geniales salientum
Clarij per iuga Vatis cape plausus cithararum;
Tibi prono grege subdit freta Nereus,
Scopulosę tibi Syrtes famulantur,
Sociali vaga Nereis vice plaudit chorearum;
Pluvialis tibi pennas legit Auster,
Simul afflat Zephyrorum tepor auras,
Velut olim relegatis Ithacensi Duce Cauris;
Viduatis male Colchi svigilavit
Draco templis dedit aureum galeata
Pagasęa rate Pallas spolium ferre Athamantis;
Furialis moderator Deus aulę
Catus Orbi ciet ęstus: operosa
Super undas meliori properantem regis aura;
Age Sospes metuendum terat ęquor;
Rea voti tibi puppis redimita
Reduci cum grege laudes geminabit Cynosurę;

CHIRVRGHICA.

Vulnerat, & medetur. Iob. 5.

EPIGR.

SIqua lues artus sanie grassante perurat;
Vlla Machaonię nec levet vrna manus;
Auxiliatricem pete Nazarin; illa medetur
Vulnere; quo discit vulnere parca mori.

TEXTORIA.

Quæsiuit lanam, & linum, & operata est consilio manuum suarum. Parab. cap. 31

SCAZON.

ANimi nouerca, criminum, quies, Mater;
Rubiginosi turpis otij proles,
Absiste procul, imperim dolis servat
Iesseia Virgo pectus, una nascentum
Quæ blandientis philtra non bibit fraudis;
Antistitumque tutior Latinarum
Cetu, perennis quo stetit focus Vestę,

Hoſpos Tonantis, æſtuans brevis tecti
Inter receſſus, ludicras terit pompas,
Nec fluctuantis more fertur Euripi
Circes per arva, perque mentis ambages;
Vigil fores pudor ſed excubans cuſtos
Niveę tuetur innocentiæ flores.
At noufapino Nazaris hebetes perdit
Soles veterno; ſive dędalus pollex
Penſum Canopi torquet, aut Phrygum tractans
Artes avitos Iſaci dum aperit caſus
Peplis Arachne, Palladis tumet livor.
Hinc penſa Nili, velleriſque Phryxæi
Tyrio rubentes murice æmulas lanas
Formoſa textrix denſat, aureæ textrix
Nexura vitę Stamen aureum Verbo.

FABRILIS.

Iunctura femorum tuorum ſicut monilia, quæ fabricata ſunt manu artificis. Cant. 7.

EPIGR.

FRont isio nivei, belliſſima Sponſa, nitores
O quali illiciunt lumina noſtra ioco!
Puchra genis; & amata genis: mellita labellis;
Illa placent: flavo vulnera crine facis.
Non ſię credo fluunt ſpecioſa monilia collo,
Quæ vigili effinxit dędălus arte faber.
Surge agę te Sponſus revocat, quid Sponſa moraris?
Cętera qui vincit, me quoque cogit Amor.

LAVS DEO, ET B. M. V.

Reverend. D. Hippolytus Tonellius videat, si in Opere isto sit aliquid contrarium Sanctæ Fidei, & bonis moribus, & referat. Datum 12. Septembris 1684.

Alex. Puccius Vic. Gener. Flor.

Illustriss. ac Reverendiss. Dom.

In hac Encyclopædia rethoricis resperſa floribus, & Poeticis salibus condita, nihil est, quod puritati Sanctæ Fidei, & morum honestati adversetur. Imò ipsius eruditissimus Auctor utile dulci commiscens omne tulit punctum: ac propterea fore crediderim, ut si typis mandetur, Lectorem moneat pariter ac delectet. In quorum fidem.

Ego Hippolytus de Tonellis S. T. D. manu propria.

Imprimatur

Datum 25. Septembris 1684.

Alex. Puccius Vic. Gen. Flor.

Ad Excellentiss. Dom. Doctorem Petrum Andream Forzoni Consultorem S. Officij, vt videat, & si nihil obstiterit, probetur. Datum ex ædibus S. Officij Florentiæ hac die 25. Septembris 1684.

F. C. Pallavicinus Ordin. Min. Convent. S. Off. Florentiæ Vic. Gener.

Reverendiss. Pater

Encyclopędiam hanc attentè perlegi; nihilque in ea Ortodoxę fidei, honestisque moribus dissonum inveni: Typis itaque dignam censeo, vtpote pietate, & venustate pręclaram. Et ita refero Ego

Petrus Andreas Forzonius I. V. D. S. Off. Cons.

Attenta antedicta attestatione

Imprim. hac Die 9. Octobris 1684.

Fr. Franc. Gambarova Min. Convent. S. Francisci, S. Offic. Flor. Cancell.

Robertus Pandolfinus Ser. M. Ducis Audit.